Sibylla Trig-Andriana,

Seu de

VIRGINITATE,

VIRGINUM STATU

Et Jure

TRACTATUS NOVUS

Et Iucundus:

Ex Jure Naturali, Divino, Canonico & Civili; Scriptoribus Ecclesiasticis & Prophanis, in gratiam Physicorum, Medicorum, Theologorum, & Juridicorum, paratus.

Cui accedunt ejusdem Author. Tractatus duo de Linea Amoris, & de Amulo usitato, sponsalitio, & signatorio.

Prostant venales apud *Ed: Forrest Bibliop.* *O X O N.*
M. DC. LXIX.

Reverendo & Nobiliſſimo

DOMINO,

GEORGIO

AB HATZFELD,

Cathedralis Eccleſiæ Fuldenſis in Buchonia Capitulari, & Monaſterii novi Montis Præpoſito, Domino ſuo & patrono colendo.

PErmagni ſemper habita fuit virginitas, magnoque pretio culta apud omnes fere gentes: Apud Romanos, Veſtales quæ virginitatem profeſſæ, tantæ dignationis fuere, quod ſi dum foras vaderent, ad capitale quisquam ſupplicium traheretur, ſi obviam fieret, ipſum tunc mortem oppetere, aut noviſſimo exemplo affici non decebat: ut traditur à Plu-

378419

tarcho in Numa. *Ad occursum earum omnem etiam Consules Prætoresq; de via decedebant, uti scriptum reliquit* Seneca lib. 7. decl. 8. decl. *Illis in publicum egressis fasces præcedebant testimonio* Plutarchi in Numa, & Dionysii lib. 47. *Illis viro etiam patre testamentum facere, cæteraque sine curatore gerere jus erat.* Livius libr. 1. *Virgo inter sidera cœli locum meruit: Hæc & alia multa considerans de virginitate, & virginibus, earumque juribus animum ad scribendum adpuli; idque negoci diebus genialibus confeci, quod ubi visum amicis meis, desideratum ab eis maximopere petitumque ut in publicum ducerem virgines, affirmabant namque si publico monstrarentur, gratiam, præsertim apud virgineum chorum initurum me maximam. Assensus ego. De duce, sub cujus vexillo & clypeo tuto prodirent in delectum cogitavi; Tu vir R. admodum, unus occurristi, cujus tutelæ commendarem & committerem virgines. Tuæ itaque R. Sibyllam hanc sacram dicatamque esse & volui & debui; tum propter insignem literarum peritiam, tum propter beneficia præstita quæ ad-*

huc

hucce mentem tenent meam. Ut sic apud. R T. aliquod meæ observantiæ signum relinquerem. Tu hilari animo munusculum oblatum suscipe, quod si tibi probari intellexero, satis amplum me præmium retulisse existimabo, Vale: Dabam in Kirchaina.

R. V. subm. C.

HENRICUS KORNMANNUS
ex Kirchaina Chattorum.

378419

PRÆFATIO.

TRactaturus de virginibus, earumque juræ persequuturus, prius opportunum duxi volens sequi documentum Jurisconsulti Ulpiani, *in l. 1. in princ. ff. de justit. & jur.* ibi, juri operam daturum, nosse prius oportet, unde nomen juris descendat: ejusdem Ulp. *in l. 1. ff. si cert. pet. ibi.* è re est prius quàm ad verborum interpretationem perveniamus, pauca de significatione ipsius tituli referre, & Gaii *in l. ff. de orig. jur.* ibi, facturus legum vetustarum interpretationem, necessariò prius ab urbis initiis repetendam existimavi. Et Pauli in *l. 1. ff. de adquir. poss. & in l. 1. ff. de dolo.* cum multis similibus. Et ex Platonis sententia in Phædro: In omnibus rebus hi, qui bene consulere volunt, est intelligere illud, de quo consultare intendunt. Et idem tradit *Cicero*, quem refert. *Bald. in prælud. feud. col. 4.* Et quia prius de personis, quàm juris ratio quærenda est, *leg. quidam. ff. de codicill. & leg. si quæramus. ff. de testament.* pauca quædam attingere. Primo autem quis miretur intuitu, quis genius ad virgines accedere propius mihi jusserit? quis genius manum ad calamum applicare suaserit. Amor erit. Quis enim tam austerus mulierum osor, ut vel ex omnibus unus non impensè amaret? Quis tam distortus Demea, ut non ullius earum

rum ambiret gratiam, quarum consuetudinem naturâ omne humanum genus adultum expetit. Illarum laudes & jura hactenus eruditorum cœtus, quod ego scio, penitus neglexisse videtur, mihi à superis relicta, atque decreta. Ea ratione inprimis adductus & audacior eo factus inscribendo, non quod ideo dies festos hisce voluptatibus consumserim, quod jure divino prohibitum est, *Deuteronom.* 5. *Exod.* 22. neque imitatus in eo juvenes, qui ad Ecclesias vadunt, ut videant potius Dominas, quam Deum: ut *tradit Abbas in c.* 1. *de fer. col.* 2. Annunciabo igitur gloriam virginum, jura illarum non abscondam. Virginitatem autem in maximo quovis tempore habitam fuisse pretio, ex eo, quod VIRGO inter sydera cœlestia in cœlo collocata fuerit, quam inter Leonem & Libram ponunt Astronomi, cuivis satis superque patet. *Natal. Comes Mythолog. lib.* 8. *c.* 16. *de Æsopo.* Quanti æstimarint Romani, Vestalium ordo manifestat, quarum fortuitus occursus à morte damnatum liberabat. *Alex. ab Alexandro S. Genial.* 12. Satis testantur quinquaginta illæ virgines Spartanæ, quæ nomen suum immortalitati consecrarunt: Nam cum sacrificii gratia à parentibus ad Messenios hospitii more missæ essent, tanta libidinis impatientia in eas flagrarunt Mes-

senii, ut contemti hospitalitatis jure, ad stuprum eas poscerent, cumque illæ obluctarentur, ipsique eas violare vellent, nulla earum consensit, morique maluerunt, quàm virginitatem amittere, quarum sanguinem Lacedæmonii magna victoria Deo Max. favente ulti sunt. Quid moror in Ethnicis & gentilibus? Nonne unica maris stella virgo Maria, ex qua Salvator & Redemptor noster natus est, *Luc.* 2. exemplum virginitatis sufficit, quam in partu & post partum virginem mansisse firmiter tenet Ecclesia? O felix illa virgo! ô nunquam satis laudanda virgo! Nonne Ecclesiasticæ historiæ satis præconia & elogia sanctarum decantant virginum? Tu felix Colonia Agrippina unica celebris es, ex tuitione virginis reginæ Ursulæ, ejusque cohortis undecim millium. Nonne & sancta Catharina virgo patrona Juristarum est? Sufficit. Non ardor aliquis aut furor nimius, sed ut earum pectora exaturemus, & bonam simul gratiam nobis apud eas conciliemus, maximè cum hoc genus apprimè irritabile siet, materiam hancce sumpsi æquam.

Tu igitur, ô mihi laurentes inter dilectæ puellas, virgo procede, elogia tua attende, præconia tua ausculta. Sat mihi erit præmium favor tuus, gratia tui vultus par referet pari, Splendor faciei tuæ me foveat.

Sic

Sic in Blanditie juvenis lux lucet amoris. Et hæc promissa protestatione una cum *Albertino de agnoscend. assert. Cathol. & hæret. q. 12. & Burs. cons. 344. n. 45. lib. 4. & Act. in princ. de infirmit. in præfat. n. 10.* Quod nihil intendo dicere, neque puto dixisse contra fidem, & si secus esset, & nunc revoco & submitto me correctioni.

DESCRIPTIO
AUCTORUM,
quos in toto opere laudavi, quorumque usus sum patrocinio.

A.

Abbas Panormitanus.
Abbas Vrspergensis.
Abrahamus Saurius.
Actuarius.
Accursius.
Æmylius Maria Manolessus.
Æneas Sylvius.
Ægineta.
Albertinus.
Albericus.
Albertus M.
Alexander ab Alexandro.
Andreas Gail.
Andreas Laurentius.
Andr. Alciatus.
Andr. de Isernia.
Andr. Picus.
Andr. Schœfferus.
Andr. Palladius.
Antonius Vacuna.
Antonius à Gama.
Antonius Gomezius.
Anton. Mancinellus.
Alexander.
Angelus.
Angelus Clavasinus.
Aristoteles.
Aristophanes.
Arabius.
Arius Pinellus.
Aristocritus.
Archidiaconus.
Aulus Gellius.
D. Augustinus.
Augustinus Beroius.
Augustus Cæsar.
Aymon Cravetta.

B.

Baldus IC.
Bartholus IC.
Barthol. Chassanæus.
Bartholomæus Cæpolla Veronensis.

Bar-

Bartholom. Anglicus.
Barthol. Marlianus.
Barthol. Tœgius.
Baptista de S. Blasio.
Basilius Gradi de Ragusa.
Bayfius.
Barbatius.
Beda Venerabilis.
Benederius.
Bertrandus.
D. Bernhardus.
Bellonus.
Benzo.
Boërius.
Burfatus.
Butrigarius.

C.

CArolus Ruinus.
Carolus V.
Capra.
Cato.
Cardinalis Parifius.
Cardin. à Turre Crem.
Callimachus.
Caſparus Goltwurm.
Catullus.
Cæſar Vrſilius.
Clemens Alexandrinus.
Conſtantinus Imp.
Concil. Tridentin.
Cœlius Rhodiginus.
Cynus Piſtorienſis.

D.

DEſiderius Eraſmus Roterodamus.
Diodorus.
Dionyſ. Gothofredus.
Didacus Corarruvias.
Dioſcorides.
Dion. Caſſius.
Deuteronomium.
Digeſta.
Donatus.
Duennas.

E.

ECcleſiaſtica hiſtoria.
Egeſippus.
Egidius.
Elbertus Leoninus.
Ennius.
Eraſmus Marbachius.
Euripides.
Exodus.

F.

Franciscus Chambonus.
Franciſ. Duarenus.
Franciſc. patricius Senenſis.
Franciſcus Caſon.
Franc. de Platea.
Friſius.

G.

Galenus.
Gaius IC.
Gabriel Sarayna.
Gentilis de Fulgineo.
Georgius Schell.
Gloſſa.
Glycas.
D. Gregorius.
Gratianus.
Gothfridus Viterbienſis.
Gregorius Rolbagius.
Guilielmus de Cuneo.
Guilhel. Minatenſis.
Guilhel. Durandus.
Guido Papæ.

H.

Henricus Cornelius Agrippa.
Henricus Canifius.
Henricus Bocerus.
Henricus Inſtitor.
Henricus Cuyckius.
Hermannus Meyrer.
Herman. Kirchnerus.
Herodianus.
Heſiodus.
D. Hieronymus.
Hieronymus Fracaſtorius.
Hieronymus Cardanus.
Hieron. Cagnola.
Hieron. Ferrutius.
Hippocrates.
Hippolytus Bonacoſſa.
Hippolytus Marſilius.
Homerus.
Horatius Flaccus.
Hoſtienſis.

I.

Iacobus de Aretio.
Iacobus Weckerus.
Iacobus Theodorus Tabernæmontanus.
Iacobus Delexius.
Iacobus Sprengerus.
Iacobus Menochius.
Iacobus VI. Angl. rex.

Iaco-

Iacobus Butrigarius.
Iaſon.
Iohannes Andreas
Iohannes Bodinus
Iohannes Borcholt.
Iohannes Charlerius Gerſonenſis.
Iohannes de Imola.
Iohannes Coraſius.
Iohannes Bertachinus.
Iohannes Igneus.
Iohannes de Baares.
Iohannes Scotus
Iohannes Gœddeus.
Iohannes Colerus.
Ioh. Iovianus Pontanus.
Iohan. Ferrarius Montanus.
Iohannes de Lignano.
Ioh. Iacobus Boiſſardus.
Iohannes Faber.
Iohannes Nevizanus.
Iohannes Bauhinus.
Iohannes Olorinus.
Ioſephus Scaliger.
Iohann. Schneidewinus.
Innocentius.
Iſidorus.
Iulius Maternus.
Inſtinianus Imperator.
Iulius Clarus.
Ius Canonicum.
Iuſtus Lipſius.
Iuvenalis.

L.

Lanfranc. de Oriano.
Landrecht.
Laurentius Ananias.
Leo Spelunca.
Levinus Lemnius.
Ludovicus Demontioſius.

M.

Macrobius.
M. Tullius Cicero.
Martinus Navarrus Arpilcueta.
Martialis.
M. Antonius Blancus.
M. Mantua.
M. Lutherus.
Marcellus Donatus.
Marquardus de Suſannis.
Maſcardus.
Matthæus de Afflictis.
Matthæus Weſembecius.
Matthias Quadus.

Menan-

Menander.
Michaël Bapst.
Michaël Scotus.
Michaël Glycas.
Musonius.

N

Natalis Comes.
Nathan Chytræus.
Natta.
Nevizanus.
Nicolaus Remmigius.
Nicolaus Leonius Thomæus.

O

Odofredus.
Origenes.
Orpheus.
Ovidius Naso.

P

Paulus IC.
Paulus Castrensis.
Papirius Massonus.
Pariis de Ruteo.
Papo.
Petrus Castalius
Petrus Gothofredus.
Petrus Binsfeldius.
Petrus Gerardi de petra sancta.
Petrus Rebuffus.
Petrus Crimitus.
Philo.
Philippus Decius.
Philip. Theophrastus Paracelsus.
Philippus Melanchthon.
Phocylides.
Plato.
Plautus.
Platea.
Plinius.
Plutarchus.
Polydorus Ripa.
Portius.
Ptolomæus.

Q

Quintilianus.

R

Raynerus de Forlivio
Richardus.
Rolandus.

S

Salustius.
Salicetus.

Saxo

Saxo Grammaticus.
Seneca.
Severinus Pineus.
Sibylla Francica.
Socinus.
Solon.
Sebastianus Vantius.
Simon Majolus.
Strabo.
Strozzius Cicogna.
Summa Angelica.
Summa Raymundi.
Summa Sylvestrina.
Summa Thabiena.

T.

TErentius Varro.
Tertullianus.
Theodorus Beza.
Theodorus Pyzantius.
Theocritus.
Thomas Actius.
Thomas Cantipratanus.
Thomas de Aquino.
Titus Livius.
Tiraquellus.
Tobias Tandlerus.

V.

VArro.
Vincentius.
Vincentius Carocciu.
Vincentius Alsarius Ligur.
Vigilius Zuichemus.
Virgilius Maro.
Vivius.
Vlpian. Iure C.

INDEX

INDEX
CAPITVLORVM.

1 De notatione nominis *Virgo*.
2 De definitione Virginis & Virginitatis.
3 Num virginitas præferenda matrimonio.
4 Quare citius pubescant fæmellæ quam masculi.
5 Quando virgo credatur pubertati proxima.
6 Quando virgo censeatur viripotens.
7 Num asserenti se virginem credatur.
8 Vtrum credatur obstetricibus aliquam esse virginem.
9 Num illibata censeatur pudicitia virginis in cujus mamillis lac invenitur.
10 Num virgo si lac habeat in mamillis lactare queat.
11 Num virgo stuprata quæ se pro virgine gerit, serta, corollas & alia virginum ornamenta gestare queat.
12 Num virgo sine virili semine concipere & prægnari queat.
13 Num virgo ex sese imprægnari queat.
14 Num scire scribere melius sit, aut nescire virgini.
15 Num condeceat virgines scire ludere cartis, taxillis.
16 Num illibata censeatur pudicitia virginis

nis ex victu, spectaculis publicis, balneis & saltationibus.
17 Num virginis peregrinantis illibata præsumatur pudicitia.
18 Num illibata censeatur castitas virginis ad quam frequenter adcedunt Scholares.
19 De probatione virginitatis apud Romanos.
20 An ex mammarum grossitie arguatur virginitatis amissio.
21 Num virginitas ex urina cognosci queat.
22 Num verum, & quæ causa quod Scaliger de radice quadam refert.
23 Num ex osculo illibata censeatur pudicitia virginis.
24 Num exheredari queat virgo viripotens sine consensu patris nubens.
25 In virginem si quis consentiat, quam postea ab alio compressam reperit, quid juris sit.
26 Num sit melius uxorem ducere virginem, quàm viduam.
27 Num conducat virgini juveni nubere seni sexagenario, de ponte dejiciendo.
28 Num virginitas totaliter perdatur actu venereo.
29 Num virginitas semel amissa possit restitui.
30 Num fiet sufficiens probatio amissæ virginitatis, absentia Hymenis.

31 Num

31 Num ob abſentiam Hymenis ſponſus ſponſam repellere queat.
32 Num virgo nupta mater eſſe voléns ab impotente marito diverti queat.
33 Num virgo ita arcta, ut mulier fieri non poſſit, matrimonium contrahere queat.
34 Vtrum mulier propter arctitudinem ſeparata à primo viro & conjuncta ſecundo, quando efficitur habilis primo, propter uſum ſecundi, ſit reſtituenda primo.
35 Num ab incubo infeſtata virgo amittat virginitatem.
36 Legatum factum puellæ minori ut intelligatur.
37 De Donatione virginum.
38 Num virgo ſine tutore donare poſſit.
39 Num ſi virgo perſuadet juveni, ſe eſſe divitem, & ita inducat illum ad promittendum matrimonium, ſubveniatur juveni ſi contrarium compertum ſit.
40 Num virgo poſſit eſſe legata.
41 Num virgo poſſit eſſe miles armatus.
42 Ad quid teneatur, qui inſectatur virginem.
43 Virginem deflorans qua pœna puniatur.
44 Qua pœna puniatur ſtuprans virginem per vim.
45 Qua ſit pœna puniendus ille, qui defloravit, ſeu deflorare conatus eſt puellam nondum viripotentem.

46 Qua pœna puniatur raptur virginis.
47 An Transactio super raptu fieri possit.
48 Qua pœna puniantur virgines fricantes sese.
49 Num virgo menstrua non patiens sana sit.
50 An virgo, cui os olet, sana sit.
51 Quæ causa, quod virginis primo menstruum fluxum habentis, camisia in ignem projecta, eum sistat.
52 An honesta virgo pro attentatæ pudicitiæ defensione violentum stupratorem licitè occidat.
53 Num virgo ob furtum sit suspendenda.
54 Legatum virgini num corruptæ debeatur & præstetur.
55 Num si virgo damnatum quempiam ad mortem petat in maritum, liberet ipsum à morte.
56 Num mulier post partum virgo dicenda siet.
57 An virgo nolens nubere gaudeat privilegiis nuptarum.
58 An virgo per vim stuprata Deo possit consecrari.
59 Utrum si starent simul duæ puellæ, honestum sit dicere: Illa est virgo casta.
60 Num mutatio vocis in puella arguat virginitatis amissionem.

61 Cum gemelli, masculus & fœmella simul nascuntur, uter prior natus censeatur.
62 Num proniores in Venerem ferantur virgines quam viduæ.
63 Quare virgines in quibusdam locis proniores sint ad Venerem & luxuriosiores quàm in aliis.
64 De variis virginum in variis Italiæ locis, dotibus & vitiis externis.
65 Virgo nupta quo tempore sponsa dicenda.
66 Num Johannes Evangelista fuerit sponsus ille in nuptiis in Cana Galilææ.
67 Cur in lege antiqua virginitas non commendabatur.
68 Virginitas cur Lilio comparetur.
69 Quæ causa quod virgo primitias arboris decerpens, fructus ejus arboris fissura notet.
70 Quare pulices puellis virginibus; imò sexui fœmineo inimici magis sint, quàm juvenibus adolescentibus.
71 Quare deteriorem odorem puellæ virgines de se spargant quam juvenes adolescentes.
72 Quare melius possint currere virgines quam juvenes.
73 Quare clarior vox virginum puellarum quàm juvenum.

74 Quibus coloribus quo ad vestimenta uti debeant virgines.
75 Qui crines exornent virgines.
76 Virgines comæ primitias olim cum matrimonium iniissent, Deabus consecrabant.
77 Quare non ita multum bibant virgines ut juvenes masculi.
78 Num ex longo & acuto naso præsumenda siet virgo iracunda.
79 Quo ingressu condeceat virgines incedere.
80 Quare luxus & ornatus convenientior virginibus quàm adolescentibus.
81 Num ornatus ad occultandum morbi turpitudinem virginibus permissus.
82 Quare Amantes pallescant.
83 Num virgo ad sanitatis conservationem actum conjugalem admittere debeat.
84 Num virgo, ut propriam sanitatem recuperet, possit sine peccato, medico id petenti sui corporis copiam facere.
85 An pro sanitate possit virgo Deo polliceri iter vel peregrinationem ad S. Jacob.
86 De planctu virginitatis filiæ Jephtah.
87 De voto virginitatis apud Dardanios.
88 Num raptus virginum in choreis à filiis Benjamin possit excusari *Jud.* 21.
89 Quare puellæ virgines in via præcedant matres, filii verò adolescentes sequantur patres.
90 Quare

90 Quare primum præponatur & distribuatur in mensa cibus virginibus puellis.
91 Cur magi præstigiis suis virgines & pueros, castosque adhibeant.
92 Quid significetur per illam picturam, qua unicornu in sinu virgines requiescens pingitur.
93 Quid significetur per 10. virgines partim sapientes, partim fatuas, *Matthæi* 25.
94 Quid per perpetuam virginitatem Minervæ antiqui fabulosè significare voluerint.
95 Quid per perpetuam Dianæ virginitatem antiqui significare voluerint.
96 Quid per perpetuam virginitatem Vestæ antiqui indicare voluerint.
97 Quid per virgines illas statuas Pantheon illud Romæ sustinentes architecti significare voluerint.
98 De bonis nominibus puellis virginibus imponendis.
99 Qui fiat quod lis sit cum forma magna pudicitiæ.
100 De virginum vestitu olim.
101 Urbes perquam celebres à virginibus nomen sortitæ.
102 De stirpibus plantisve à Divis vel sanctis virginibus denominatis.
103 De mari, fluminibus & fontibus à virginibus denominatis.

104 De qua virginis Romæ.
105 Quid per tres Charites virgines manibus inter se junctis pictas veteres significare voluerunt.
106 Quæ regiones, urbes, loca, &c. subsint signo Virginis.
107 Quæ membra hominis subsint Virgini.
108 Planeta sive constellatio pueri puellæ quæ nati natæve sub Virgine.
109 Cur apud veteres signum virginis vitem aversari credebatur.
110 Unde cera membrana & mel virginis dicatur.
111 Virgines laudatæ in sacris.
112 Virgines culpatæ in sacris.
113 Virgines laudatæ ab Ecclesiasticis historicis.
114 Virgines laudatæ à profanis scriptoribus.
115 De Sibyllis virginibus divinantibus.
116 De puellis virginibus in mares mutatis.
117 Quid portendant somnia de virginibus.
118 An omnes fuerint virgines in turba & societate S. Ursulæ
119 Expositio l. 6. §. 1. l. 34. ff. de adult. §. item l. Julia. Inst. de public. judic.
120 Expositio dicti Jobi c. 31.
121 Expositio dicti Lichtenbergeri, &c.
122 Quæ terra per virginem denotatur.
123 Expo-

123 Expositio vers. apud Catullum.
124 Expositio dicti Baldi, &c.
125 Expositio Levit. 21. c.
126 De falso credita cohabitatione puellarum in paradyso à Mahometanis.
127 Expositio illius Hierem. Thren. 1. c.
128 Expositio versic. apud Gothfrid. Viterbiens. Chron. p. 9.
129 Expositio dicti: *A juvene & cupido credatur reddita virgo.*
130 Num verè inter miserabiles personas reperiantur virgines.
131 An virgo dici queat sterilis.
132 Cui sexui annumerandus Hermaphroditus.
133 Scorpio non tam citò fœminas lædit ac virgines.
134 Apes non iciunt virgines.
135 De virgines serpenti adamata.
136 De aquila virginem adamante.
137 Cur buffo addatur virgini.
138 De imaginibus facierum virginis, earumque virtutibus.
139 Num virgines puellæ uniusmodi vestimentis cum adolescentibus, juvenibus induræ agnosci queant.
140 De minervalibus sacris & pugna virginum.

TRAC-

TRACTATUS DE VIRGINITATE, VIRGINUM STATU ET JURE.

CAPUT. I.

De notatione nominis Virgo.

NOn conterendo tempus in perplexa de verbis controversia, quæ Grammaticorum potius, quam ICtorum esse videtur, quam & *Vlp. in l. 1. §. sed & sciend. ff. de ædil. edicto.* aspernatus, brevibus rem aggrediemur. Dicitur autem virgo, à virtute, quam omnes colere tenentur, præcipuè tamen ea in virginibus elucere debet. Vel ut virtus labi nescit, ita virgo intacta & illibata esse debet. Vel à viro, quod infantilem

ætatem egressa, nubilis esse potest, & viro conjungi. Vnde & inter Græcos quidam παρθένος virginem, quod significat ἀφ' τὸ μὴ δύνασθαι τὴν ἡλικίαν dictum volunt; h. e. quia ætatem infantilem egressa est, ut nubilis esse possit. Vel à vigore, quod ea ætate, qua dicuntur virgines, maxime vigeant puellæ. Vel ab ætate viridiori, sicut & virga. Vel dicitur virgo ab incorruptione, quasi verago, quod veram ignorat fæmineam passionem *Isiodor. lib.* 11. *c.* 2.

Cap II.

De definitione virginis, & virginitatis.

Est autem virgo, quæ virum non cognovit. Et est virginitas status intactus, seu incorruptus. Hic sciendum secundum *Richard. in* 4. *distinct.* 33. dupliciter sumi virginitatem. Primo modo, improprie, pro integritate carnis, & sic quilibet nascitur virgo, & istud non est virtus. Secundo modo, virginitas sumitur pro habitu, quo voluntas determinatur ad respuendum promte & faciliter omnem delectationem Veneream etiam licitam, ut mens liberius spiritualibus vacet, quia ut dicitur 1. *Cor.* 7. Virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & Spiritu, & hæc est virtus & diffinitur ab Augustino

stino *libr. de nupt.* Virginitas est in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio, i. e. quod virgo debet gerere in proposito ut in hoc perseveret perpetuo, & ex hoc patet, quod integritas carnis non est de essentia virginitatis, sed est quidam decor ejus accidentalis, extrinsecus existens, qui perdi potest sine diminutione virtutis virginitatis, ut *patet 32. q. 5. in pr. & c. tollerabilis.*

Cap. III.

Num virginitas præferenda matrimonio?

IPsa virginitas miraculum est. Et adeò miraculum esse censetur vera castitas, ut præponatur etiam lapsis pœnitentibus, hoc ipso genere. Nam castitas perdita nunquam reparari potest, vixq; ab ipsa divina potestate. Itaque major corona est virginum, & continentium, quàm conjugatorum. Et tanta est differentia inter statum virginalem & Matrimonium, & tantò acceptior est Deo virginitas, quanto magis grati & accepti fuêre Adamus & Eva in Paradiso ante peccatum, & quantò homines superiores animalibus, & quantò eminentior est status Angelorum cœlestium, statu hominum terrestrium. Hinc S. Hieronymus in expositione dicti Psalmi: *Homines & jumenta salvabis Domine.* Per ho-

mines, inquit, intelliguntur solæ virgines, & per jumenta reliqui omnes. Ulterius, status Virginalis excellit, & superat matrimonium, quantum glorioſiſſima & puriſſima virgo Maria superat Evam, *Baſilius Gradi de Raguſa in tractatu Italico Della Verginita c. 6.* & secundum Apostolum 1. *Cor.* 7. tanta est differentia inter matrimonium & virginitatem, quanta est inter Non peccare & Benefacere, Bonum & melius. *Papa Gregorius VII.* prætulit statum Virginitatis matrimonio, & in synodo peculiari sacerdotibus matrimonio indixit. *David. Stumpf. in inſtit. conjug. c.* 1. & cur à mulieribus & omni libidinis usu mundi debeant esse sancti altaris ministri, legatur *Speculum concubinariorum Henrici Cuyckij c.* 17. Concilium Tridentinum sessione 8. *can.* 10. Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus, & non esse melius ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quàm jungi matrimonio anathema sit. Canonem huncce tuetur sequentibus scripturis.

1. *Cor.* 7. Nupta curat quæ sunt mundi; cœlebs quæ sunt Domini.

1. *Cor.* 7. Ne fraudetis vos invicem, nisi forte ex consensu, ut vacetis jejunio & orationi.

1. *Reg.* 21. Abimelech interrogat Davidem priusquam ministris ejus ad vescendos panes

panes propositionis velit admittere, an mundi sint à mulieribus? & David respondit: Si de mulieribus agitur, illæ jam per triduum à nobis separatæ fuerunt.

1. *Cor.* 7. Hoc dico secundum veniam, non secundum præceptum, sed venia non conceditur nisi rei viciosæ.

Sapient. 3. Felix, sterilis & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.

1. *Cor.* 7. Bonum est si sic permanserint, &c. Qui non elocat, melius facit. Beatior erit, si sic permanserit.

Matthæi 19. Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum.

Esaiæ 56. Non dicat Eunuchus. Ego lignum aridum.

Apocal. 14. Cantant quasi canticum novum quod nemo poterat discere, ii sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt, ii sequuntur agnum quocunque ierit, sine macula enim sunt ante thronum Dei.

Syrach. 26. Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.

Albertus Magnus de muliere forti c. Thau. §. 1. Continentia, inquit, habet fructum triplicem, scilicet centesimum in virginibus, sexagesimum in viduis, & tricesimum in conjugatis.

Ad prædictas scripturas videatur *Chemnitius in examine decreti concil. parte 3. de cœlibatu & virginitate, c. 1. 2. 3.*

Cap. IV.

Quare citius pubescant fœmellæ quam masculi.

Resp. *Gl. in l. 2. C. de his qui ven. ætat. impet. ibique Accurs.* Quòd mala herba citò crescit, & cito citius est subdola mulier, & avara *l. sed si ego, in fin. ff. ad Vellejan.* Nam regula naturalis est, quantò longius res habet esse, tantò tardius ad perfectionem devenit. Patet hoc in plantis & brutis. Sed vir longius habet esse, quam mulier, ideo tardius ad perfectionem devenit quàm mulier, & ideo mulier citius subdola & sagacior efficitur, quod carmine redditum:

Vt lolium segetes crescendo vincit & altè
Emicat hortorum carduus inter opes;
Fœmina sic maribus citius consurgit in auras,
Fœmina non ullum ferre parata modum.
Nimirum pravæ crescunt velocius herbæ,
Fœmina quas inter connumeranda venit.

Franciscus Chambonus in vocab. jur. verb. Emptis venia. Alii dicunt, quod frigidior homo de mundo est calidior calidiori muliere de mundo,

mundo, & ideo mulieres minus vivunt & citius consumuntur. Quantò igitur facilius & citius consumuntur, tanto citius perficiuntur & crescunt. Vel dic quod mulier est callidior & ingeniosior homine, unde & facilius impetrat veniam ætatis, quia in 18. anno & homo in 20. C. *d. t. dict. l.* 2. Sed & est alia ratio, Quia facilius est pati quam agere, ut vult *Hostiensis, Borch. in tract. de gradibus. fol* 94. hanc dat rationem, quod ætatis mutatio in masculo regulariter fit per septenarium, in fœmina per senarium, ut *Clemens Alexandrius ex Solone notavit in 6. προμαθίων* quod & eleganter ex climacterum consideratione elicit *Bodinus lib.* 4. *cap.* 2. Accedit calidior sanguis in fœmina, §. *cum igitur. Auth. de non eligend.* Non tamen ex eo præexcellentia quædam sexus fœminei putanda, ut putavit *H. Cornelius Agrippa. in orat. sua de præexcell. sexus fœmin. ad Margarita Austriacam*, quam tamen potius ut & alia sua plurima ad pompam & ostentationem ingenii quam veritatem scripsisse videtur, semper enim deterior habita est conditio fœminarum quam masculorum *l. in multis* 5. *ff. de legib.*

Cap V.

Quando virgo credatur pubertati proxima?

ET utique qui decimum & dimidium excesserit annum si sit masculus, fœmina verò pubertati proxima si nonum annum cum dimidio compleverit. Gl. notab. & singularis in § *pupillus. in verbo infantia. instit. de inutil. stipul. in l. pupillam. ff. de R. I.* quas esse communiter receptas asserit *Iason in l. properand. §. & si quidem, n. 1. C. de judic. Socin. in l. 1. §. adipiscimur ff. de adquir. poss. Anchor. in d. §. pupillus. Decius & Cagnola in d. l. pupillam, Coras. miscell jur. lib. 6. c. 23. Natta cons. 434 n. 16. vol. 2. Emanuel in suo Thesauro lit. P. n. 357.* accedente semper judicis arbitrio. *Ioh. Fab. in d. §. pupillus. Butr. in c. attestationes de desponsat. impub. Salicet in l. impunitas, C. de pœn. Vigl. in §. testes n. 11. instit. de Testam. Didac. in clē. si furiosus in pr. 3. part. n. 5. Duen. reg. 259. limit. 5.* Tria autem considerabit bonus & æquus judex. Facti qualitatem, personæ conditionem, qualitatē loci & regionis. Nam pueros Normannos & Longobardos callidos appellat, *Gl. in l. sequitur, § pupillus. ff. de usuc.* Versutos appellat Hispanos, *Gl. in l. dotem. C. de dolo.* Sclavones mortalium nequiores. *Odofredus in l. Iulianus, ff. de action.*

emti,

emti. Gomez. in § sic itaque n. 19. de action. Catalonos proditores & pacis fractores. *Bald. in c. 1. de pact. Boer. q. 179. in fin. Menoch. de arbitr. caſ. 57. n. 49.* E contra Gallos ſui natura ſtolidos, Syros avaros & Scythas immanes, Siculos acutos, Aſiaticos luxurioſos, Italos Regales, Hiſpanos elatæ jactantiæ. *Iul. Matern. in Aſtronom. Petrus Crinitus de honeſt. diſcipl. libr. 1. c. 7.* quæ omnia doctè collegit *Vinc. Carroc. in tract. de minor. in dilict excuſ. q. 23.* Et exclamat *Marſ. in l. infans. ff. de ſicar. n. 3.* quod defecerunt ætates, & illud, quod ante ſcribere ſoliti ſunt autores circa vitia, & defectus in 15. anno, faciunt nunc infantes in 5. ut ludere ad taxillos, & alios ludos prohibitos, & decipiunt ludentes ſecum. Idem *in l. ſi quis re. C. eod.* quales ſunt illi, quos Lombardia, Normandia & Roma generat. *Vincent. Carocc. de minor. q. 7. num. 1.*

Cap. VI.

Quando virgo cenſeatur viripotens.

OLim & tempore Imperatoris Juſtiniani aſpectus corporis in uſu erat, verum id verecundum oculis & auribus duceret Juſtinianus, mutavit & pubertatem in maſculis, poſt decimum quartum annum completum illicò intium accipere diſpoſuit,

antiquitatis normam, in fœminis benè positam in suo ordine relinquens, ut post 12. annos completos viripotentes esse credantur instit. tit. Quibus modis tutel. finit. qua de causa non membra, quæ natura occultavit, sed ætas spectanda est. Cornel. Vibius *l. fin. C. quando tut. vel cura esse desierit.* facit ad hoc *Instit. de nupt. in. pr.* ibi. Fœminæ autem viripotentes, ibique *Accurs.* Sponsalia tamen ante pubertatem anno septimo celebrare possunt puellæ, *l. in sponsf. ff. de sponsf. c. litteras c. acceß. c. duo. de sponsf. impub.* nuptiæ verò ad tempus pubertatis usque differuntur, & si intra dictum tempus uxorem quis acceperit, tunc erit uxor cum ad ætatem prædictam pervenerit, *l. minorem. ff. de ritu nupt.* Quamvis additio *inst. d. loc. hanc gl.* non benè loqui dicat, nam licet, quo ad tutelas & testamenta ille appellatur pubes, qui 14. annum complevit, si vir sit, aut 12. si mulier, quo tamen ad matrimoniq contrahenda appellantur puberes, quam primum coire possunt, non igitur in matrimonio copulando pubertas cognoscitur ex annorum numero, sed ex potestate coeundi, *t. puberes. extr. de sponsal. impub. secundum Christoph.* Inveniuntur enim ante illam ætatem quæ procrearunt, in quibus malitia ætatem supplevit, ut *text. in l. 3. C. si min. se major. dix. 5. de illis. cl. 2. & c. fin. de desponsat. impub. & c. 1. eod. tit. in 6.* prout sunt illi, quos Lombardia

dia, Normandia & Roma generat, qui sciant mentiri & verum dicere, quia malitia seu prudentia supplet ætatem, *gl. in verb. animum, in leg. sequitur. ff. de usucap. Augustinus in epist. ad Renatum Episc. relata per Gloss. in c. parvuli de consecrat. dist. 4. & in c. 1. de delict. puer. allegat. Sebast. Vant. tr. de nullitatibus, de nullit. ex defectu inhabil. n. 7.* Salomonem regem undecim tantum annis natum Roboam genuisse, & Pharez filium Judæ 9. ætatis anno Esronem filium suscepisse, & Achaz Ezechiam anno decimo, & Haran Lothum octavo, & Jesram filiam nono Hæbræorum monumenta testantur. Seder Olam Hebræorum citatus à Genebrardo in Chronologia, & mulierem a decenni puero gravidam factam esse, D. Hieronymus litteris consignavit, Epistola ad Vitalem. Verum Imp. Majestas non ad factum quarundam virginum & malitiam respexit, sed potius ad honestatem, & quicquid sit in aliquibus IConsultus non attendit de eo, quod bis aut ter fit, sed quod plerunque *l. nam ad ea 5, l.* τὸ γὰρ ἅπαξ *6. ff. de legib. & Senatus Cons.*

Cap. VII.

Num asserenti se virginem, credatur.

QUum hodie malitia regnet ubique, ego in hoc puncto potius cum Augustino teneo: Melius est dubitare de occultis, quàm litigare de incertis, & an si virgo, adeò est in difficili ac penè impossibili cognitione, ut dicit *Cujac. observat. lib. 17. cap. 27. Actius De infirmit. Rubric. 20. num. 15.* Ast ad punctum. Resp. quod sic, mulieri enim in dubio prægnantem se asserenti creditur, *ut not. Ang. in l. illud, Glos. ibid. Si pars hæreditat. pet. Dd. ad l. Si quis prægnantem. 148. ff. de R. Iur. Mascard. concluſ. 1151. incipiente, partus num. 31. & concluſ. 1214. incipiente. prægnantiæ.* ut favorabilior igitur est virginitas, eò mage probabilior & credibilior, cum quilibet præsumatur bonus donec probetur malus, ad excludendam suspicionem delictorum quæ sunt facti, sicque probationi subjiciuntur argumento *c. miramur 61. dist. De præsumt.* & prima facie quis præsumitur bonus *11. q. 3. injunctis de præsumt. l. cum pater. §. rogo ff. de legat. 2 ibique Gothfr. lit y alleg. Alciat. 3. præsumt. 2.* eodem modo quilibet præsumitur solutus donec probetur ligatus. *Ioan. Andr. ad reg. jur.* Semel malus semper præsumitur esse

malus

malus in 6. Et magis creditur teſtibus deponentibus aliquem eſſe ſanum, quam dicentibus eſſe infirmum, ut poſt *Pariſ. con.* 88. *num.* 12. *libr.* 2. *dixit Portius conſ.* 94. *nu.* 16. Actius *de infirmitate Rubric.* 37. *numero* 16. Adſtipulatur & ſacratiſſimus Imperator Juſtinianus, quando quo ad æſtimationem pubertatis, inſpectionem habitudinis corporis, quod in fœminis etiam antiquis impudicum viſum eſt, rejicit, & ſancta ſua conſtitutione certum tempus in utroque determinavit ſexu pubertatis. *inſtitut. quibus modis tutel. finitur.* multò magis igitur inſpectionem ventris, quo ad aſſertionem virgini tacitè abhorrere videtur, id quod dignum eſſe caſtitate ſuorum temporum Imperatoria Majeſtas exiſtimavit ib. Et *Rubr. de ventre inſpiciendo. ff. libr.* 25. *titul.* 4. loquitur de mulieribus, & partu illarum, quando ſubeſt periculum ſuppoſitionis, vel ſubjectionis, ut patet ex textu, ibi. Tria lumina, ne minus ibi ſint, quia tenebræ ad ſubjiciendum aptiores ſunt, publice enim intereſt partus non ſubjici ut ordinum dignitas, familiarumque ſalva ſit. Novam rem deſiderare Rutilius Severus videtur, & ideo nemo mirabitur, ſi nos quoque novum conſilium & remedium ſuggeramus inquit *Vlpianus in principio, leg.* 1. *ff. eodem.* Ideoque ibi ob periculum ſubjectionis admittitur inſpectio ventris, quæ in virgine haud concederetur,

deretur,& communiter receptum ut innupta virgo interim præsumatur, ita post *Abbat. in cap. de adulter. Alexander. con. 229. n. 2. libro 6. Ruin. consil. 199. numero. 11. libro 2. Bertrandus consilio 135. & consilio 158. libro secundo. Albert. cons. 37. numero 2. Cravetta consil. 166. num. 5. Clarus §. stuprum. vers. sed pone. Mascardus de probat. conc. 1410. n. 1. Menoch. de præsumt. lib. 6. præsumt. 89. Dubitari sæpe solet in princ. Ripa in tractatu de nocturno tempore. Rubr. 162. n. 16.*

CAP. VIII.

Vtrum credatur obstetricibus aliquam esse virginem?

OBstetricibus affirmantibus aliquam esse virginem magis credendum est, quam totidem negantibus. *Rayn. de Forl. & Dd. in leg. 1. §. sed & si quidem vel omnes. ff. de ventr. inspic. licet Iacob. de Aret. ibi contra. per gl. in l. diem. §. si plures. ff. de arbit.* Item contra Rayn. tenet *Bar. in l. testium ult. col. ff. de testib.* quod magis creditur dicentibus esse corruptam, quàm dicentibns esse virginem, adeo nusquam est virgo, secundum Terentium, & obstetrices deponentes de virginitate puellæ, debent reddere rationem sui dicti: Scimus quia vidimus & inspeximus eam, secun-

secundum *Abbat. in cap. proposuit. de præsumt.* Item creditur de prægnantia mulieris. *Angel. in l. illud. Si pars hæred. pet.* Sed quot sint qui probent? *Spec. de teste. §. restat. de numero vers. item in purgatione ib.* item tres obstetrices, quod per tres & quod duæ tantum probent prægnantiam per *l.* 1. *ff. de ventre inspic.* Vel quinque quando se prægnantem confitetur, quia se sponte ingerens facit suspectam. *Specul. & Iohan. And. ibid. per d. l.* 1. *Bertachin. in repertorio in lit. O. verbo obstetrix, n.* 2. *& lit. V. verbo Venter. vers. pen.* Quæ omnia procedere duco quo ad testandam prægnantiam, sed quo ad virginitatem magis mihi placet opinio Bartoli.

CAP. IX.

Num illibata censeatur pudicitia Virginis in cujus mamillis lac invenitur?

EUstathio πυρίνῳ dicitur ἡ ἐμπληθὴ τὸ γάλα γεννᾶν δηλάζειν, id est, Quæ nondum lactat. Et unde oriatur lac docent Physici & Medici, nempe ex sanguine elaborato & cocto; sanguis enim ille opifex humani generis in penetralibus nato puero maternum pectus irrigat, & spiritu ac colore confotus albus fit, alimoniamque similem lactenti puero præbet, quem paulò ante in viscer[illegible] tra-

tradiderat. Amplius igitur haud virgo censenda, in cujus uberibus lac invenitur, dura etenim & tenuia virginum ubera esse convenit, indicium enim esse putant corruptæ fœminæ gravidæ, aut puerperæ si lactarias habet mammas. Lactariæ enim mammæ certum dicuntur indicium corruptam esse fœminam & gravidam puerperam, nec amplius virginem; cum lac effectus sit defloratæ, vitiatæ & gravidæ fœminæ aut puerperæ, quo exemplo post alios utitur *Philippus Melanchthon. libro 4. Dialecticæ in loco. A signis. & Duaren. in commentar. ad tit. de probat. cap. 3. non longe à pr. & libro 1. disput. anniv. cap. 27. vers. necessaria, refert Henricus Bocerus tract. de quæstionibus & tortur. cap. 3. num. 18.* Verum utrum in puellarum mamillis lac inveniatur, dubitatur? Hoc ipsum non fieri testatur *Hippocrates libro 1. de morbis mulierum.* quemadmodum & in libro de natura hominis, ubi inquit: Ubi mulier peperit, lac ad mammas fertur, quod confirmat *Aristoteles in libr. de histor. animal.* dum scribit: Nulli animalium lac fieri, antequam uterum ferat: hinc Laïcorum illud: Virgo lac exprimit, concepit igitur aut peperit. E contra vero lac in virginum uberibus generari, nulla etiam facta conceptione testatur idem *Hippocr. sect. 5. Aphorism.* Si mulier, inquit, quæ neque gravida est, neque concepit, lac habet,

habet, & menſtrua defecerunt. Et teſtatur *Ariſtoteles*, quemadmodum & *Cardanus*, quod viros viderit ex quorum mamillis lac effluxerit, & qui novum orbem luſtrarunt, viris fere omnibus magnam lactis copiam in mamillis generari aſſerunt. Si igitur ſexui virili hoc ipſum obtingit, multo magis atque facilius ipſis virginibus atque mulieribus ante conceptionem, atque viri complexum contingere poteſt, cum mamillæ earum multo ſint rariores, atque ampliores atque magis etiam glanduloſæ, ſanguine etiam tanquam cauſa materiali undique refertæ, calore etiam forti ut cauſa efficiente donatæ, idque potiſſimum in virginibus provectioris ætatis, cum ubera ex venis thoracis ſanguine irrigantur, atque cum pruritu pubeſcere incipiunt, & papillæ turgent, quo tempore, ut *Hippocrates* inquit, puellæ dicuntnt κυαμίζειν, id eſt, Fratrare, ſive fraterculare, *An. Laurent. libr. 9. Anatom. hiſt. q. 21.* Probe autem in hoc caſu iuquirendum duco, num perſona ſiet bonæ famæ, an vero ſuſpectæ ex qualibet cauſa & converſatione. Rem ut novam & inauditam virginibus confitendam relinquo. *Bald. enim in Rub. de prob.* Fœmina, inquit, præſumitur eſſe prægnans ſi habet lac. Verum ego, inquit Bocerus dict. loc. exemplum hoc adponerem potius veri ſimilibus indiciis, cum alia poſſit eſſe

esse causa lactis mamillaris, ut virgineæ arguunt vaccæ, quæ mulgentur antequam initorem admiserunt bovem, cui lubens assentior.

Cap. X.

Num virgo, si lac habeat in mamillis, lactare queat?

LAc quandoque in mamillis virginum invèniri testantur *Hippocrates*, *Aristoteles* & *Cardanus*. Num verò lactare queant, dubitatur. Deest etenim copia, deest verus usus, matribus siquidem proprium est conceptum lacte tueri partum. Tum non ita tenue est, sed crassum & rarum ut ad lactandum vix sufficiat. Hinc & Pontifex Rom. inter cæteros cibos tempore jejunii quo virginum instar puri & sinceri & ab omni carnis cogitatione semoti vivere jubemur, lac ut sementinam originem à carne trahens, prohibet, & rarius invenitur virginem lactasse, quàm ætate provecta fœminam sobolem suscepisse.

CAP. XI.

Num virgo stuprata, quæ se pro virgine gerit, serta, corollas & alia virginum ornamenta gestare queat?

RESP. *quod non.* Serta etenim & corollæ coronæque ex floribus contextæ vigorem & florem pudicitiæ denotant, aurumque ob splendorem suum virginitatem testatur, graviter ergo peccat ea, quæ se virginalibus ornamētis ostentat, cum virgo non sit. *Gl. 32. q. 5. in princ. & in c. si Paulus, & in cap. illud. ea caus. q. 2. Glos. in c. causam matrimonii in verbo privilegio, & ibid. Panorm. in 2. col. de probat. & in c. illæ ea. q. & per S. Thom. de Aquino & Richard. 4. sentent. distinct. 49.* argumento Doctorem, si quis falsō se gesserit ut falsarius punitur, ut ponit *Bartol. in l. quisquis. C. de aquæduct. lib. 11. & l. reddatur. de profes. & medic. Bald. in l. data opera. C. qui accus. non poss. & per eund. Bartol. in l. eos qui. §. qui se pro milite per illum text. ff. de fals. & idem Bald. in l. præscriptione, col. 4. & l. si & leg. C. si contra jus vel util. publ. cum simil. quæ ponit Angel. cons. 93. visis. col. 2. allegat. Sebast. Vant. de nullit. c. de nullit. sent. ex inhabilit. n 69. pag. mihi 368.* Distinctas etenim semper fuisse vestes ancillarum, matronarum & meretricum apparet ex

ex *Horat. 1. ſerm. ſat. 2.* & *Tertul. de cultu fæmin.* talis enim quis eſſe præſumitur in quali habitu reperitur, *Bartolus in leg. item apud Labeonem 15. §. ſi quis virgines. ff. de injur.* ibi. Si quis virgines appellaſſet, ſi tamen ancillari geſte veſtitas, minus peccare videtur, multò minus ſi meretricia veſte fœminæ non matrum familiarum veſtitæ fuiſſent, &c, ideoque non tam gravis iujuria fit matronæ, cum ancillari aut meretricia veſte induitur, quam cum ſtolam ſuam geſtat. Peccat enim quæ aliena veſte utitur, & injuriæ ſibi faciendæ cauſam præbet. Exemplum in jure noſtro præbuit Barbarius ille Philippus, qui ſervus fugitivus Romæ ſe pro libero gerens præturam petiit, & prætor deſignatus eſt, *leg. 2. ff. de offic. prætor.* Aliud mirabilius traditur ab hiſtoricis, de virgine Iohan. VII. vel VIII. Papa, quæ virgo (ſi tamen vera illa hiſtoria eſt, ſemper enim mihi ſuſpecta fuit) habitu virili malis artibus Pontificatum adepta dicitur. *Hippol. Bonacaſſa de ſervis & famul. ad Pontificem Gregorium XIII. pa. 2. Cornel. Agrippa in de vanitat. ſcient. cap. 62. de ſectis monaſticis.* Idem in *orat. de præexcellentia ſexus fœminar. de quo ego uberius in centur. 1. deciſion. 8. egi.* ne igitur nimius in re minus neceſſaria videar, conſulto hic prætereo.

CAP.

Cap. XII.

Num virgo sine virili semine concipere & prægnari queat?

EXcepta sola B. Maria, quæ virgo concepit, virgo peperit, virgoque post partum mansit, insolitum & inauditum, imò impossibile est illud. Duo enim ad illud opus requiruntur, agens unum mas videl. patiens alterum fœmina, &c. *Arist.* verò *in probl.* suis exemplum de quadam puella refert, quæ virile semen in balneo emissum adhauserit, ex eoque prægnans facta fuerit. Verum ab omnibus pro falso & figmento reputatur hoc, ut & illud quod de admirabili equorum alacritate *apud Vettones Hispaniæ populos* scribunt. quorum matres ad Zephyrum versæ, sine mare concipere dicuntur. Nam nisi utriusq; seminis excretio simul fiat, ne concipi quidem potest, ac ne quidem si alterum paulò post. Nam ita prius vel effluit interea, aut commisceri cum priore non potest, si jam constiterit. Quid facilius deinde quam omnes impudicos concubitus, hoc modo polliare licebit, viduis, virginibus, matronis absentibus viris impune facere, quod velint modo aliquando laverint. Et si absque congressu viri mulier concipere queat, non esset miraculum

culum in Maria, de qua cantus resonat: Sic virili semine: innuendo in aliis omnibus requiri. Ferunt tamen *Nauclerus vol. 2. Gen. 15 & Vincentius in speculo historiali lib. 21. c. 30* Merlinum istum Anglum ex virgine vestali & incubo natum. Judicium fiet penes benevolum Lectorem.

Cap. XIII.

Num virgo ex sese impregnari queat?

Quilibet homo in quo luxus exaltatur polluitur eo, h. e. emittit eum in terram vel retinet. quamprimum autem Sperma generatum est, & non emittitur ut decet, putrefactio adest. Sæpissime autem in virginibus talis luxus oritur, & crescit, & tendit ad cursum, sed non omni tempore emittitur, hoc est, evenit, ut congelascat ut urina qui non semper exit, sed subsistit: ubi tale Sperma exitum non habet, tum manet in sua terra & digeritur in matrice, quæ propria locus ejus est. Verùm verum semen deest, et eo sequitur *Mola*, morbus, ut uterus tumescat, ac si esset prægnans, & tamen non est sed ex proprio spermate imprægnatur, sicut gallinæ per se facultatem habent gignendi ova subventanea. Eatenus hic morbus etiam virginibus potest accidere. Hunc mor-

bum

bum consistoriales apud Medicos inquirant, ne innocentes virgines & honestæ matronæ hoc malo laborantes ab ipsis injustò de suspecta pudicitia condemnentur, qua de re consulendus est *Hippocrates, Galenus, Actuarius, Ægineta & alii Græci scriptores, & Plinius libro 7. cap. 15. libr. 10. c. 64. Fris. in Specul. part. 5. lib. 2. tract. 1. cap. 8. Rolandus de Thermis fol. 192. Colerus OEcon. p. 6. lib. 18. cap. 114. Iacobus Theodorus, Tabernæmont. in libr. medic. part. 3. c. 19. §. 14. De Mola David Herlicius de cura gravidar. & puerperar. c. 5. de Mola.*

Cap XIIII.

Num scire scribere melius sit, aut nescire virgini?

ADdubitavit *Iohan Charlet. Gersonensis Theologus*, prout eum refert *Petrus Gothofredus de amoribus, libr. 2. cap. 6.* propter commoda varia atque incommoda, quæ insunt, sciat vel nesciat, ipse Gothofredus censet puellas non esse imbuendas à parentibus scribendi arte, vel eas quidem quæ destinantur marito. Quam addubitationem Gersonēsis eadem commoda & incommoda, quæ fæmineo sexui insidiantur, sive sciat sive nesciat eodem modo tollunt. Quid enim, quæso,

quæso, litteris mandari potest, quod non eodem eoque faciliori, occultiorique modo nunciis mediantibus mulierculis vetulis referri & expediri possit? Et videtur distinctio Gothofredi magis ad affirmativam accedere: cum etenim hæc ars plerumque & ut plurimum in juvenilibus addiscatur annis, quis, quæso, augurabitur hancce destinatam viro, illam solam frigido in lecto jacituram? aufert preterea exercitium devotæ mentis & cogitationum monialium. Et nonne doctissimæ extiterè fœminæ, quæ dubio procul artis scribendi imperitę haud fuere, quod etiamnum earum scripta commendant, contra Matrialem, qui vult ut non sit doctissima conjux, alludere visus vulgari proverbio quo habetur: Mulieri quæ Latine loqui novit, & puero cui vinum est bonum, non futurum finem bonum. Vt Cornificia poëta subOctaviano Augusto, cujus adhuc epigrammata vigent, ut refert *Vrsper. f. mihi* 89. *Sappho Lesbia* adolescens, quæ multis vatibus Græcis non inferior & docte & suaviter versus sublimi ingenio ceciniſſe non contenta, etiam Sapphici carminis inventrix extitit, & Sapphicum illi nomen primum indidit. Hanc imitata est *Erynna Rhodia*, cujus poëma Doricum excellentia carminis etiam cum Homero contendisse ferunt. Pariter Corynna quoque, *ut Suidas scribit*, Thebis de poësi cum Pin-

Pindaro contenderat, quem quinquies gloria rara superarat. *Rolbagius in certamin. masculo fœmin. 1. c. 14.* plura exempla refert, ubi allegat *l. qui filium, ff ubi pupillus educari. Augustus Octavius*, ut in ludum litterarium non solum ingenui pueri, sed & virgines nondum adultæ litteris & bonis disciplinis formandæ venitarent instituit. Eligebaturque aliqua matrona insignis spectatæ virtutis toto generi propinqua, aut vir gravissimæ disciplinæ, cujus sanctitate & moribus tota familia & infantilis cognatio bonarum artium cupiens imbueretur, ut testatur *Alex. ab Alexandro. Gen. dier. lib. 2. c. 25.* celebris est *Rosuitta Germana* illustris virgo, quæ metro gesta conscripsit Othonis I. imp. & jam impressum opus circumfertur. Nec pigebit referre Aloysiam Sigæam virginem Toletanam, quæ cum sui ævi doctissimis viris conferri posset, fuisseque quinque linguarum adeo peritam, ut non immerito Paulus III. pont. max. litteras illius ad se scriptas videns Latine, Græce, Hebraice, Syriace & Arabice, admiratus fuerit in tenella hac & mustea virgine tam multiplicem ingenii fructum in viris etiam rarum, prout testatur *Ludovicus Nonius in Hispania c. 59.* Olympia illa Fulvia Morata æviternum in Myrtilleto monumentū ob rei litterariæ scientiam adepta est, &c. & nostro seculo Elisabetha Iohanna Westonia

Anglica virgo floret, cujus carmina ad Imp. Rodolphum II. in omnium versantur manibus. Hujus sæculi nova phœnix visa Iuliana Morella Barchinonensis virgo Hispana, tribus illis maxime insignibus linguis, Latina, Græca & Hebræa, earumque characteribus, sicuti Hispanicis, Gallicis & Italicis scite pingendis, musicisque instrumentis exercita, quam superioribus annis Lugduni ad confluentiam Saonæ & Rhodani salutavi, doctrinam ejus obstupui, & versu Heroico condecoravi. Contrarium tenere videtur *Bertach. in repertorio. lit. L. verbo Litteræ. & ibi Æmylius Maria Manolessus ante n. 70.* quod videlicet virgines non sint imbuendæ arte scribendi, dum litteras amatorias ab adolescente mulieri, & à muliere adolescenti scriptas apertum adulterium indicare scribit, allegans *l. Publia. ff. depositi, sed certe illa in eo casu nihil habet ulterius l. cum de indebito ff. de probat. Felinus in c. scripta. n. 12. de fide instrum. illustriss. Cardin. Paris cons. 54. n. 64. vol. 4. Ioannes Timulus Perusinus in viridario Philosophico de discendo* asseverat & fœminas esse ad discendum habiles cum & ipsæ mentis sint participes: sed si cum viris coparentur, ineptas & inhabiles omnino esse dicendas. Degenerat enim in eis natura, ita ut fœminæ veluti monstra sint, ut ex *Arist. colligitur lib. 4. de generat. animal. c. 3. Vnde idem Philosophus 2. lib.*

ejus

ejusdem oper. c. item tertio. fœminam esse dixit veluti Marem læsum & mutilarum: τὸ γὰρ (inquit) θῆλυ ὥσπερ ἐστὶν ἀρρεν πεπηρωμένον.

Cap. XV.

Num condeceat virgines scire ludere cartis, taxillis, cythara, &c.

LUdere chartis, taxillis, cythara, &c. affirmare non ausim, cum iis homines tempus ipsum non tam conterere, quam potius sua sponte tanquam saris currentem equum, ut in proverbio est, stimulis agere solent, Aristotel. 8. Polit. non attento quod talis & tesseris ludere sortiri est, cum nemo ad istos ludos accedat indagandæ veritatis causa, sed solum quantum velit pecuniarum in eventum chartarum aut talorum periclitetur, haud secus ac si quis de canis aut equi cursu pignore certaret: hæc igitur si illicita sunt, omnes similiter pignoribus concertationes, quæ de incertis rerum eventibus instituuntur, illicitas esse oportet, ad juvenes prò priè pertinent, ad corporis & animi exercitationem, nonnunquam enim illa loca supplere solent, quæ si vacua essent, otiosis ac pernitiosis occupationibus nimium paterent, quia nihil potest esse vacuum. Talorum

verò ludus, qui vel à fortuna, vel à versatili manu & colluſoria jacientium arte totus pendet, perditis decoctoribus & prodigis militibus magis convenit, qui ad Tympani ſonitum omnia ſua exponunt. *Iacobus Angliæ & Scotiæ Rex in Βασιλικὸν δῶρον ad filium ſuum lib. 3.* Quid? quod inter ludendum obſcœna proferuntur verba, quæ non proficit ſcire virgines. Quid? quod cythara demulcet & emollit animos, leveſque virginum choros leviores reddit, pudicitiam abigit, præterea reliqua incommoda quæ exinde facile oriri poſſunt; magiſtro enim opus habent, qui manum rudem dirigat ad tactum. Occaſio facit furem. De alea *Patritius Senenſis de regno & regis inſtit. libr. 3. c. 10.* de *calculorum ſive latronum ludo lib. 3. c. 12. Bertachinus in repertorio. lit. L. verb. luſus. n. 21.* Ludus Cytharæ permittitur etiam Clericis, quia David juſtus pulſavit cytharam & chorizavit; quod verum in occulto non palàm ſecundùm Abbat. in c. *cum decorem, de vita & honeſt. cleric.* Alearum verò ludus ita clericis prohibetur, ut non valeat contraria conſuetudo etiamſi ludatur reſpectu cujuſdam voluptatis, *Abbas in c. Clerici extr. de vita & honeſt. cler. Actius in 3r. de lud. Schach. q. 4. pr. n. 16.* niſi ſint infirmi & recreationis gratia ludant: tunc enim excuſantur, ut *per Capram in ſuis regul. reg. 86. n. 40.*

n. 40. Actius de infirmit. p. 2. lit. A. verbo alearum ludus.

CAP. XXVI.

Num illibata censeatur pudicitia virginis ex convictu, spectaculis publicis, balneis & saltationibus, &c?

DE convictu latius egi in *Linea amoris, cap. 3.* ideo ne hisce longior sim eò benivolum Lectorem selego. Plutarchus in Apopht. tradit apud Lacedæmonios prohibitum fuisse mulieribus ad comœdiarum spectacula pergere. Fuit & ille mos Græcis, ut testatur *Æmilius Probus* in procœmio vit. Imp. ubi Romanos maximè abominasse tradit, quod mulieres ad spectacula publica interessent. *Vnde Theodosius & Valentinianus in l. consensu 8. §. vir quoque. C. de repudiis*, enumerant inter causas, ob quas vir uxorem repudiare potest, si uxor Circensibus vel theatralibus, vel arenarum ludis & spectaculis in illis locis, in quibus hæc assolent celebrari, marito prohibente fuerit. Et *Octavius Augustus teste Suetonio in illius vita cap. 44.* Athletarum spectaculo muliebrem sexum omnem adeò summovit, ut in Pontificialibus ludis pugilum par postulatum distulerit in sequentis diei matutinum tempus,

edixeritque mulieres ante horam quintam venire in theatrum non placere. Ita P. Sempronius Sophus conjugem repudii nota afecit non ob aliam causam, quam quod ipso ignorante ludos spectare ausa esset, ut refert *Valer. Maximus libr. 6. cap. 5.* Sulpitius Gedelius uxorem, quæ aperto capite processerat in publicum, repudiavit, arbitratus illi, nisi ut soli viro placeret, curæ haud esse debere. Quid Actæonem in cervum mutavit, nisi inscia sine veste Dianæ in balneis visio? [*Ovidius libro 3. Metamorph.* Quid Bersabeæ publica lavatio effecit? Homicidium & adulterium, crimina summa à summo perpetrata rege. Et balnea intrare religiosis concessum non videtur, nisi ratione infirmitatis similisve necessitatis, ut *post gl. in cap. omnis 24. quæst. prima scripsit Summa Sylvestr. in verbo Balneum numero 2. Summa Angelica in verbo Balneum. §. 1. Actius de infirmitate pag. 2. liter. B.* Quis Spectaculorum illorum à Romulo institutorum finis? Raptus Sabinarum virginum. Quanta siet vanitas saltationum, satis attigit *Cornelius Agrippa in libello suo de vanitat. scient. cap. de saltatione.* Nullum choreis spectaculum ridiculum ac inconditum magis, hæc laxamen petulantiæ, amica sceleris, incitamen libidinis, hostis pudicitiæ, ac ludus probis omnibus indignus. Sæpe ibi matrona ut ait

Petrar-

Petrarcha, diu ſervatum decus perdidit, ſæpe infelix virguncula ibi didicit, quod melius ignoraſſet, multarum ibi fama periit, pudorque: multæ inde domum impudicæ, plures ambiguæ rediere, caſtior autem nulla: pudicitiam choreis ſæpe ſtratam, ſemperque impulſam, oppugnatamque videmus. Romani veteres viri prudentia & autoritate graves ſaltationes omnes repudiarunt: nec ulla penes eos honeſta matrona ſaltaſſe laudatur. Hinc Salluſtius improperat Semproniæ quod cantaſſet, ſaltaſſetque doctius quàm conveniret probæ. Quin & Gabinio viro conſulari atque M. Cœlio nimia ſaltandi peritia probro data eſt. & M. Cato L. Murenæ, quod in Aſia ſaltaſſet, pro crimine objecit. Cui patrocinatus Cicero id ut rectè factum defendere non eſt auſus, ſed conſtanter factū pernegavit, *nemo*, inquiens, *ſaltat ſobrius, niſi forte inſaniat. neque in ſolitudine, neque in convivio moderato atque honeſto.* Intempeſtivi convivii immoderati joci, turpium deliciarum comes eſt extrema ſaltatio. Itaque ſaltationem neceſſe eſt omnium vitiorum eſſe poſtremum. Neque verò facile dictu quæ mala hic viſus haurire & auditus, quæ pariant colloquia & tactus, ſaltatur inconditis geſtibus, & monſtroſo pedum ſtrepitu ad molles pulſationes, ad laſcivas cantilenas, ad obſcena carmina, contrectantur puellæ & matronæ

tronæ impudicis manibus & basiis meretricii-sque complexibus, & quæ abscondit natura, velavit modestia, ipsa lascivia tunc sæpè nudatur, & ludi tegmine obducitur scelus. Quid Divo Ioanni abstulit caput? Nisi impia impiæ istius puellæ ante Herodem saltatio, *Matthæi decimoquarto*. Hinc dicit *sanctus Hieronymus*, se non credere illi viro qui se illæsum ab ejusmodi spectaculis abiisse dicit, & alibi. *Saltatio est circulus cujus centrum est Diabolus*. & Chorea utrum sit licita, & utrum inspectio chorearum, ludorum vel joculationum sit peccatum, tradit *summa Angelica in verbo Chorea, per tot.* quo benivolum Lectorem relego.

Cap. XVII.

Num virginis peregrinantis illibata præsumatur pudicitia?

Resp. Quod non. Multi enim in peregrinationibus impenduntur sumtus, quod mulieres facere negantur ex insita à natura avaritia, cum sint tenaces, & ut loquitur *Accurs. in l. Nesennius 34. ad verb. è contrario. ff. de negot. gest.* natura avarissimæ, adeò ut *Baldus in fin. l. si à sponso 16. C. de donat. ante nupt.* ibi, quod raro accidit, dicat, donationem mulieris miraculi loco habendam esse. Tum

omnis

omnis generis hominibus teruntur viæ, qui pretio, donis, illecebrisque, nec non vi pudicitiam mulierum appellant, ut loquitur *Iurisconsultus Vlpianus in leg. apud Labeonem 15. §. apellare. ff. de injur.* & quid non facit auri sacra fames? secundum Virgil. Quid eripuit Dinæ Iacobi filiæ pudicitiam? nisi curiositas, cum egrederetur, ut textus habet *Gen. 34.* ut filias illius regionis videret; adeò ut & Ulpianus proficisci procos. melius sine uxore existimet *l. 4. de offic. procos.* addens, ut si quid uxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio & vindicta exigatur, & commuuiter mulieri peregrinanti parum habetur honoris, adeò ut idem *Vlp.* Si quis virgines appellasset, si tamen ancillari veste vestitas, minus peccare videtur *in l. 15. §. si quis. ff. de injur. tradat.* Nonne Abrahamus secum ducendo suam Saram in periculum apud Pharaonem incidit, *Gen. 20?* Illibata igitur & integra haud remanere putatur pudicitia illius, quæ ad exteras provincias peregrinatur, & quidem in Italiam Venetias, ubi tot scortorum millia, cujus etiam causa hæc quæstio ventilanda aliquando suscepta. Nam fœminarum peregrinationem semper suspectam esse, & turpitudinis, impudicitiæque judicium præ se ferre, probatur ex eo quod Tragici & Comici Poëtæ, peregrinam, advenamque mulierem frequenter

pro impudica ac turpi usurpare solēt. Exemplo est apud Terent. Chrisis illa ex Andro in Andr. Act. 1. Sc. 1. Hinc & mares apud Ethnicos quondam Romę arcebantur à sacris *Bonæ Deæ*, adeò, quod ipsæ etiam masculorum picturæ fugerentur, ne fortè muliebris animus inter-sacrificandum ex hujusmodi inspectione impudicis desideriis fædaretur: asserebant enim *Bonam Deam* fuisse castissimam & adeo virginitate condecoratam, ut nunquam fuerit egressa domo, neque dum vixit ullum virum viderit. Hinc Menander apud Stobæum canit:

Intus manere mulierem oportet
Bonam, egredientes autem foras nullius
Pretii sunt.

Et Euripides in sua Iphigenia;

Maneat domi, pudicam enim decet pudor.

Et Justinianus Imp. *in Novell.* 124. *ut litigantes jurent, &c.* laudat, si mulier fuerit quæ propter honestatem vitæ extraneis viris se monstrare non consuevit, &c. ibique Lucas de Penna, & in constit. de commeatu. Alciatus in Emblematibus hos ponit versus:

Alma Venus quænam hæc facies? quid denotat illa
Testudo, molli quam pede diva premis?
Me sic effinxit Phidias, sexumque referri
Fœmineum nostra jussit ab effigie,

Quod

Quod remanere domi & tacitas docet esse puellas,
Supposuit pedibus talia signa meis.

Mulieri enim silentium est modestia
Pulcherrimum intus vero tacitam manere domi.

Scip. Mazzellan. apparatu Italico delle statue trociate nella distruta Cuma. c. della statua di Venere. Nemo enim ita cautè unquam se gessit, quin caperetur à malitia, nec virgo ita pudicè vitam instituit, quin vel ex oculi nictu vel vestigio per viam imprudentius facto, à libidinoso adolescente in suspicionem violati pudoris venerit.

CAP. XVIII.

Num illibata censeatur castitas virginis, ad quam frequenter accedunt Scholares?

Jacob. Butrig. & Bald. in l. nequenatales. C. de probat. dicunt, quod aliquam esse meretricem, probatur per hoc, quod Scholares passim de die & de nocte vadunt ad eam, licet non probetur tactus, vel alii actus venerei, à communiter accidentibus. Quando enim Scholaris loquitur, non præsumitur ei dicere: *Pater noster*, secundum *Bald. in d. l.*

neque natales, & habetur per Bald. & Iohan. de Imola in l. fin. ff. de hered inſtit. & faciunt notata per Bartolum, in l. 3 in pr. ff. de furt. & notat. per eundem Bart. in leg. 2 §. fin. & in leg. quod ait lex in pr. & in l. c. 5. ff. ad l. Iul. de adult. & not. per Panorm. & Canon in c. tertio loco. circa fin. de probat. Vnde & idem Bald. in l. ædem. C. locati dicit, quod locans domum ſuam ſcolari juveni, non poterit eum expellere, ob hoc quod meretrices in eam induxerit, quaſi in re locata malè verſatus eſſet, quia hoc præſumere debuit à communiter accidentibus. Hoc tamen ſecundum eundem non habet locum in ſacerdote & viro religioſo, quia ſi amplectitur mulierem, præſumitur cauſa benedicendi hoc facere non cauſa libidinis, ita dicit *gl. ſingularis in c. abſit. 11. q. 3. Spec. de præſumt. §. 2. verſ. 1.* Sed à tali benedictione libera nos Domine. Monachis enim hodie mihil perverſius, nihil petulantius, magiſque plenum malitiæ eſſe *Coraſ. in lib. 3. Miſcel. c. 7. in fin.* dicit; allegans Baldum, qui nec divum Thomã Cantuarienſem virum eximiæ ſanctitatis excipere voluit *in ca. ut lite pendente.* & quantum lenociniis ipſis conducat religio, ipſa Paulinæ caſtiſſimæ inflexibilisque matronæ hiſtoria ab Egeſippo deſcripta teſtatur, quam Iſidis ſacerdotes cuidã equeſtris ordinis adoleſcenti pro Anube Deo proſtituerunt. Quid etiam in iſtis poſſit

possit auricularis illa confessio, ipsa tripartita indicat historia: nec desunt, inquit, *Cornelius Agrippa in libro de vanit. scient. cap. de arte meretricia*, si referre velim cognita recentia exempla: habent enim Sacerdotes, Monachi, Fraterculi, moniales & quas vocant sorores, specialem lenociniorum prærogativam, cum illis religionis prætextu liberum sit quocunque pervolare, & quibuscunque quantum & quoties libet, sub specie visitationis & consolationis aut confessionis secretò sine testibus loqui, tam piè personata sunt illorum lenocinia. Et sunt ex illis, quibus pecuniam tetigisse piaculum est, & nihil illos movent verba Pauli dicentis: *Bonum est mulierem non tangere*, quas illi non rarò impudicis contrectant manibus, & clanculum confluunt ad lupanaria, stuprant sacras virgines, vitiant viduas & hospitum suorum adulterantes uxores, nonnunquam etiam. Iliaci prædonis instar abducunt, & Platonica lege eum popularibus suis communes prostituunt, & quarum animas lucrari debent Deo, illarum corpora sacrificant Diabolo, atque his multò sceleftiora, & quæ nefas est loqui insana libidine perpetrant. Et illud est præsumtile illud *Bene dicere*. Insigne exemplum introducit Joh. Jovianus Pontanus in dialogo sio Charon, qui inscribitur. *De Sene Cardinali & puella Cypria meretrice, de infelici puella*

& sene sacerdote, ubi sanctimoniam illorum describit, quo benivolum Lectorem selego.

Cap. XIX.

De probatione virginitatis apud Romanos.

Romæ erat delubrum pudicitiæ matronalis, hodie dicatum est *Mariæ Ægyptiacæ*, in ea erat *Bucca veritatis*, quæ imago marmorea erat apertis labiis. Huic *Volaterrani* regis filia manum in os imposuit ad virginitatem suam probandum, quum vetula quædam Fesulana impudicitiæ eam argueret, ubi paulò post altera puella ejusdem criminis accusata, idem probationis testimonium subire vellet, contracto ore imago manum ipsi amputavit *Ioh. Iacob. Boissardus in Topographia Romæ. die* 1. Et ipsis Ethnicis in virginitatis testimonium miracula quædam facta fuisse commemorantur, ut habet *S. Augustinus de civit. Dei libro* 10. *cap.* 16. de Q. Claudia Vestali. Cum enim navis hæsisset in Tiberi, nec vi hominum boumque loco dimoveri posset, cum adverso pudicitiæ rumore laboraret ipsa Claudia, quod cultus esset studiosior, discincta zona, & navi alligata, precata Deum, ut si casta esset, navis sequeretur, navis illam sequuta est, quod etiam habet *Sabell. libr.* 2. & alii multi. Et pro-

pro Ethnicorum virginitate illud habet etiam ibidem S. Augustinus de Tucia etiam Vestali, quæ jussa dicere pro se causam, cum de pudicitia sua male audiret, ad ripam fluminis progressa multis comitantibus cribrum fluviali aqua plenum, ad Pontificum conspectum, quorum de causa cognitio erat, detulit: accusator quoque tamersi attentè requisitus, nusquam apparuit amplius, ut etiam habet *Sabellic. lib. 2. ex Maximo. lib. 8.* Pro pudicitiæ testimonio sunt & Christianæ fidei miracula. Fuerat Cunegunda Augusta Henrici I. conjux falsò adulterii insimulata, illa innocentiam suam purgavit, quin & se Veneris nesciam probavit, cum quindecim passus super candens ferrum, nudis pedibus, illæsis plantis perambulasset. *Bapt. Fulgos. l. 8. Nauclerus generat. 25. in pr. Krantz. metropol. lib. 4. Et Eborensis tit. de absolut. reorum. Simon Majolus in dieb. canicular colloq. 3. §. mulier. p. 102.* Hisce & Agathæ Catavensis miraculum adnumerari debet, quæ ut pudicitiam servaret, Quintiano prætore cõtemto, cum super acutas testas, & ardentes prunas volutaretur, minus pœnam doluit, quam nuditatis ignominiam, ut tradit *Eborens. ex Marul. lib. 4.* Cui accedit & Iphygenia Æthiopum regis filia virgo, quæ contemtis Hirtaci nuptiis concremari jussa est, tantum abest, ut ab igne læderetur, quin potius flamma

ipsa

ipsa virginitatis defensatrix ab ipsa se avertens in regiam prosilijt, quam funditus consumsit. *Eborens. ex Marul. lib. 4.*

Cap. XX.

An ex mammarum grossitie arguatur virginitatis amissio?

EGidius *in tractat. de urinarum judiciis part. 2. de signis conceptionis.*

Matrix sicca, venus sopita, retentio fluxus,
Discolor affectus, vomitus, compressio virgæ.
Mammæ grossities & perturbatio ventris,
Ex mellicrato, conceptus signa probantur.

Gentilis de Fulgineo in comment. ibid. videtur respondere quod sic, quia sanguis redundat ad spongiositatem mammillarum unde ingrossantur, sunt namque continui meatus a matrice ad mammillas, per quorum concinnitatem fit transitus derivationis ad superiora, id est, mammillas. Verum cum loquatur de conjugata, prout ibi, de virgine non facile admiserim, cum aliæ causæ ut supra grossitiei mammillarum esse possint. Nam natura sexui fæmineo majores & pleniores dedit mamillas, ut quasi tutamen & tegimen cordis sient, ut si illud calefecerint, rursum ab eo-

eo calefiant, & si quando majores crescant, causa aliorum accidentium malorum sunt. Verum hoc pendet maxime ex proprietate naturæ, prout aliqua genere pinguis sive fluida est quam aliunde: prout tradit *Iacobus Theodor. Tabernæmont. in sua medicina. p. 2. c. 3. §. 1.* ibique remedia ponit contra nimiam grossitiem §. 2.

CAP. XXI.

Num virginitas ex vrina cognosci queat?

HIc Medicorum schola adeunda est: utpote cum unicuique in sua arte sit credendum, *l. semel. C. de re milit. libro 12. Bald. in cap. cum inter. de elect. per modern. in l. 1. §. fin. ff. de V. O. ibique Alciat. addo text. in leg. 1 circa princ. ff. de ventr. inspic. cap. ut constituerentur 50. distinct. l. 1. §. fin ff. de V. O Spec. in tit. de probat. §. videndum. col. pen. vers. hoc quoque.* Quidam tamen Medici certum indicium ex vrina haberi posse negant, cum ex varietate ciborum urina coloretur. Plurimi tamen certum indicium ex ea statuunt, infirmum hominem à sano ex ea discernunt, morborum origines ex ea asserunt. Et tradit *Egidius in tract. de vrin. judiciis.* Vrinam virginis quasi subcitrinam debere esse, unde urina livida & nimis serena virginem declarat esse constantem.

tem. Et tradunt Secretistæ si semen portulacæ spargatur super carbones, ita ut illa fumum ad se recipiat, si fiet corrupta, mirabilia videri. Idem referunt de lapide Gagathe pulverisato si ipsi insciæ detur ad potandum, si intacta est, retinet ipsum, sin minus urinam reddere tenetur etiam contra voluntatem, ut refert *Barthol. Anglus de proprietatib. rerum, libro 16. cap. 49. De Gagate. Michaël Scotus in Physiognomia, cap. 10.* Virgo, inquit, in tactu pirulæ nasi dignoscitur, quia cartilago est solida, & cum est semel corrupta, sentitur partibilis. *idem cap. 22. & 23.*

CAP. XXII.

Num verum, & quæ causa, quod Scaliger de radice quadam refert?

SI *virgines, quæ præsunt pascuis, super ea sedeant, aut urinâ faciant, eis perinde rumpi naturæ membranâ, atq; si à viro fuerint vitiatæ.*

Refert *Scaliger* de radice illa, quæ in Atlantis jugis occidentalibus, quæ pars Survag ab incolis nuncupatur, nascitur. *exercitat. 175.* quod quamvis à veritate longè abesse videatur, ad rupturam namque istius membranæ fortis actio, conflictus & congressus requiritur, quæ non sine sanguine dirimitur; ratio tamen si aliqua occulta indagari queat, hæc est, quod acutum & fortem odorem radix illa de se spargat, qui summam luxuriam & pruri-

pruritum excitet, quo membrana illa rumpitur, exemplo lapidis Gagathis qui paleas, & Magnetis qui ferrum ad sese trahit.

CAP. XXIII.

Num ex osculo illibata censeatur pudicitia virginis?

THomas Cantipratanus *in libro, qui inscribitur, Bonum universale, libr. 2. c. 30. §. 49.* Quinta, inquit, via ad fornicationem est luxus in osculo. Quod Salomon in proverb. c. 7. insinuans de muliere garrula & vaga. *Apprehensum*, inquit, *Iuvenem osculatur.* Rario hujus est, quod luxuria per osculum incitatur, quia in osculantibus convenientia partium fit, & animales spiritus conjunguntur. Unde Aristoteles dicit: quod *qui ante coitum conspirant anhelitu, & per hoc ad luxuriã provocantur*; absit itaq; ab ulla Christiana mente, licitũ & sine crimine credendũ osculum, dum veridicus Augustinus in regula sua c. 20. fixum oculũ tanta pœna censuit vindicandum. Osculo pudicitiã mulierũ delibari à veteribus creditum est. Est namq; osculum præparatorium proximũ ad factũ, & in *Linea amoris*, quarto constituitr loco, ut Donatus ad illum Terentii locũ: *Certè extrema linea amare, haud nihil est*, adnotavit, & *Antonius Mancinellus apud Hortatium l. 1. carm. ode. 13.* Osculum ad quartam partem Veneris refert hoc versiculo:

Visus

Visus, alloquium, tactus, post oscula, factum.

Hunc versum refert quoque *Gloss. in l. quod ait. in pr. de adulter.* & nominatres Veneris *Matth. de Afflict. in constit. Neapol. Rubric. 21. num. 13. libr. 1.* & *Ovidius in prim de arte amandi*, princeps & heros amator famosissimus tradidisset adulterium *Dec. in Rubric. de judic. col. 2. Sylva nupt. libr. 4. n. 77. fol. 138.* quia ex hujusmodi præparatoriis arguitur præparatum & infertur adulterium. *Cagnol. in Rubr. C. ae edend. n. 28. & ibi Bellonus n. 59. cum multis seqq. Covarru. in tractatu de matrimon. in 2. part. c. 7. §. 6. n. 3. Bald. in l. adversus. C. de furt.* & mulier honesta non dicitur, quæ sit per aliquem osculata vel cognita etiam semel. *Paul. de Castro. cons. 303.* quamvis contrarium teneat *Marcus Mant. Patavinus*, qui sexaginta annos publicè docuit. *in Rubr. de judiciis.* Verum consuetudo plurima tollit, in quibusdam enim Germaniæ locis, oscula sumere usitatum est, in aliis contra summum dedecus & grande habetur nefas. *Martinus Navarr. in compend. manual. c. 14. n. 42. ait:* Non peccat mortaliter, qui tangit amore honesto & jocoso, sine mala intentione, pectus mulieris, mamillas manu premit, pedem tangit, imò ubi mos est, amplectitur, osculatur, licet uterque sit invenis, dummodo non sit aspectus vel tactus par-

partium obscœnarum, quibus mulieres dicuntur. Olim apud Romanos oscula fœminis dare perquam usitatum erat, & Cato, ut refert *Plin. lib.* 14. *histor. nat.* nullam aliam ob causam propinquis fœminis osculum libare solitos ait, nisi ut scirent an vinum olerent, ex quo quidem indicium pudicitiæ sumebant, hoc etiam testari videtur Juvenalis, cum ait:

Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ,
Quarum non timeat pater oscula, &c.

Nec existimandum est, omne osculum esse peccatum, ut illud inprimis quod parentibus & cognatis in benevolentiæ argumentum impenditur, vel etiam ex honesta patriæ consuetudine quibusvis extraneis. De hac re *Cajetan. in Summula.* Osculum, inquit, benevolentiæ bonum ac laudabile est juxta morem patriæ inter quascunque personas sit. Osculum verò libidinis, nisi inter conjuges, est peccatum mortale. Sicille: Idem docent conscientiæ Doctores communiter omnes *Georg. Colvenerius in not. ad Cantip. d. c. §. 50.*

CAP.

CAP. XXIIII.

Num exheredari queat virgo viripotens sine consensu patris nubens?

DE filio controvertitur inter Doctores, quia hæc causa inter 14. illas causas, propter quas exheredari liberi à parentibus possunt, non invenitur *Nov.* 115. Si verò liberi ad turpem & infamem personam se applicaverint, rectè exhæredantur, pertinet enim ea res ad dedecus & infamiam totius familiæ, & à Justinian. in *de Novel.* adjecta est his verbis: Si liberi cum turpibus conversati fuerint, fac. *l. 3. §. si emancip. ff. de bonor. poss. contra tab.* & hanc opinionem communem esse dicit *Wesemb. in parat. ff. de l. & posth. n. 5.* Tenet tamen Duarenus Jus Canonicum non adimere facultatem exheredandi filii, quamvis velit ratũ manere matrimonium, ne majus inde scandalum oriatur, nam multa rata esse tum jure civili tum Canonico, quæ tamen fieri prohibentur, *not. in c. ult. de secund. nupt.* sic idem hic dicendum putat, ut quamvis ratũ maneat matrimonium, quod invito patre contractum est, nihilominus possit puniri filius pœna legitima, qui sine consensu patris contraxit matrimonium. Idem tenet *Castal. in l. si filium. C. de in offic. test. Dec. in l. nuptias. ff. de R. I. Chassaneus*

in

in consuet. Burgund. Tit. de successione. §. 2. quorum opinionem Carolus V. secutus est, facta ea de re in hæreditariis suis terris constitutione. Verum negativa opinio de jure verior est. Exheredationes enim sunt odiosæ, odia autem secundum regulã juris in 6. non sunt amplianda, sed potius restringenda. Vnde & *Canis. IC. Ingolstad. in disput. de sponsal. & matrim. th.* 13. cum matrimonii summa libertas sit, *c. Gemma extra. de sponsal. l. Titia. ff. de V. O* etiam cum infamibus personis, *c. inter opera. extr. de sponsal.* omnino statuit patrem obstringi & ad dotandam & instituendam filiam, sine assensu ejus, nuptias contrahentem. De filia plurimi affirmant, posse eam exheredari si ante annos 25. nubat absque parentũ consensu, vel si post eam ætatem nubat servo, aut meretricio more vivat, ita *Cuiac. ad Nov.* 18 *sibi partim contrarius. 3. observ.* 5. Verum facilius ignoscendum filiæ innuere videtur Iustin. Imp. quando filio furiosi ad exemplũ filiæ furiosi matrimonium sibi copulare permittit *instit. de nupt.* & ibi Accurs. De filia, inquit, facile consensum fuit, quia fortè calidior sanguis est in ea, *ut in Auth. de non eligend. §. cum igitur.* Vel verius propter fragilitatem sexus, argumento *inst. quib. alienare licet.* Opinatur & hac de causa, quod filios non gignat filia in patris sui potestatem, itaq; ipsi invito non augebit familiam, de filio vero dubitabatur, quod

quod fortè qui ex eo nascerentur in avi invitî potestatem nascerentur, itaque invito illi ab intestato successores essent, & imputet pater sibi, quod nuptias filiæ distulerit, nec de quærendo ei viro sollicitus fuerit. Ne tamen ô filia virgo ex eo licentiam quidvis faciundi rapias, sed consensum parentis, nam hoc fieri debere, & civilis & naturalis suadet, *instit. de nupt. in princip. Martin. Navar. in manual. compend. p. 4. cap. 14. n. 15.* verecundè & cum pudore expecta.

CAP. XXV.

In virginem si quis consentiat, quam postea ab alio compressam reperit, quid juris sit?

HOcce præmittendum duxi, reges cujusdam partis Asiæ fuisse, qui nequaquam permittebant virgines aliquas nuptui dari, nisi prius singulas quasque parentes earum eas sibi ducerent, ut quascunque vellent, stuprarent, & sic floribus delibatis, ut desponderentur, permittebant: Nec audebant proci uxorem aliquam poscere, nisi eam, quam comperissent, à regibus veniam nuptiarum impetrasse, refert *Franciscus Patricius, de regno & regis instit. libr. 4. tit. de oblectat. 16.* Verùm illud oblectatio eorum erat, apud nostros insania. Ad punctum

ctum quod Doctores non leviter altercantur. Dissolvi matrimonium verius est, quod ab Ecclesiis & earum consistorialibus communiter est approbatum, legibus quoque divinis magis consonum, *Beust. p. 2. q. 34. Beza de divort. & repud. p. 228.* Dissentit *Covarruv. in epit. caus. matrim. p. 2. c. 3. §. 7.* latè *Wesembec. ad tit. ff. de ritu nupt. num. 8.* persequitur hanc quæstionem, & tamen concludit pro matrimonio videri pronunciandum; per *c. fin. de re judic. & paulò inferius* adducit *Vlp. in l. si uxor 13. §. fin. ff. de adult. ibi:* Stupri accusari eam mulierem non posse, quæ post illud ducta est. Serò enim, inquit, accusat mores mulieris, quos uxorem ducendo probaverit, & cum ibi non distinguat inter ignorantem & scientem, sed loquatur generaliter, nec nos distinctionem facere debere putat, *leg. de precio. de in rem act.* Verùm quod cum pace ipsius dixerim, videtur mihi in ea lege distinguendum, quod patet ex §. præcedente, ubi repudiata uxor reducta ex delicto, quod in matrimonio admisit, accusari non potest, abolevit enim prioris matrimonii relicta reducendo eam, sequitur §. *fin. incipiens.* Idem dicendum & *cum d. §. loquatur* de delicto prioris matrimonii noto cognito & famato, ut sic vir reducens eam sciens ex delicto prioris matrimonii eam accusare non possit, cum videatur ipsi remisisse reducen-

do eam: puto firmiter *seq.* §. *idem dicend.* etiam intelligi debere de sciente, qui sciens aliquam corruptam vel stupratam duxit, ut ita sero accuset mores ejus, quos uxorem ducendo probavit, quod etiam dictio in principio idem innuit, non verò de ignorante. Ponit ergo Ulpianus duos casus diversi facti, sed unius juris, prior est de reducta, alter de ducta, ejusque morum probatione antecedente, cui consentit *l.* 47. *solut. matr.* ubi si mulier viri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinetur à marito, cur enim improbet maritus mores, quos ita aut ante corrupit, aut postea probavit? quæ *l. similiter* loquitur de viro sciente corruptam, aut præbente eam lenocinio, & videtur *d.* §. *loqui* de eo, qui duxit aliquam, cum qua ipse stuprum ante commisit, argumento §. præcedentis loquentis de reducente adulteram, quàm ante habuit, quod & innuit verbo *probavit*, qui enim possū aliquid probare quod ante nescivi? Deniq; ad suam negativam tutandum adducit Wesemb. historiam Josephi *Matth.* 1. (qui à justitia commendatur, quod cum Maria conjuge, quam ex alio prægnantem suspicatur, divortium facere secretò instituit) & ad eam respondetur, illud exemplū præjudicium ad hanc causam afferre magnum non posse, non enim exemplis, sed legibus esse judicandum, *l. nemo* 13. C. *de sent.* ne

de

de facto, sed de jure quæri; quanquam ibi factum nullum propositum sit, sed tantum cogitatio pii viri & justi, quæ ad nullum actum processit, & denique dicit Wesemb. valuisse illo tempore etiam legem & stetisse πολιτείαν Mosis, ut ejus jure recte uti, & quandam illi ἐπιείκειαν adhibere moderatus homo potuerit. Verum nec ego illud exemplum hucce trahendum censeo, minus enim verum est, quod ob suspicionem Josephus voluerit Mariam deserere, ut putat Wesemb. Nam textus dicit, *cum justum*, ideo enim ut *Origenes Homil. in nat. Christi vigilia* tradit, eam dimittere voluit, quoniam virtutem mysterii & sacramentum quoddam magnificum in eadem cognoverit, cui approximare sese indignum existimabat, ergò humilians sese ante tantam & tam ineffabilem, quæsiit se longè facere, sicut & B. Petrus Domino se humilians ajebat: *Recede à me Domine, quia homo peccator sum*, vel sicut iste centurio ad eundem Dominum dicebat: *Non sum dignus, ut tectum meum intres*, vel sicut Elisabetha ad ipsam locuta est Mariam. *Et unde hoc mihi ut veniat Domini mater ad me.* Sic & Josephus justè humiliat sese in omnibus, cavebat & timebat sibi tantæ sanctitatis conjunctionem adhibere, ideo voluit eam occultè dimittere. Verior igitur opinio est dissolvi ejusmodi matrimonialem contractum: Quis enim æs pro

auro retineat? Quis alienos foveat liberos? Cuivis ulterius indagandum relinquo.

Cap. XXVI.

Num sit melius uxorem ducere virginem, quam viduam?

Virgo & vidua pari jure censentur, *lib. inter liberos 6. ff. ad l. Iul. de adult.* ibi. Adulterium propriè in nupta committitur, stuprum verò in virginem & viduam. Verùm in hoc casu præferenda videtur virgo. Duplex enim labor est ei qui viduam ducit, prior ut dedoceat alterius viri mores, alter ut suis assuefaciat, quam rationem quidem quamquam dissimili artificio, tamen manifestè docuit *Timotheus Musicus*, qui duplicem mercedem exigebat à discipulis, qui alium habuissent præceptorem. Vidua enim si non omnia ex voto succedant, statim allegat & recenset mores & acta prioris mariti, ipsamet imperium, cum hoc genus admodum libidine regnandi ardeat, arripere audet: hinc contemtus, perpetuumque jurgium, & ridicula vulgò res est, & cavillis hominum obnoxia, uxorem viduam ducere, quod vel tritum apud juris civilis Doctores dicterium *Bulgari I C.* discipulorum in præceptorem satis ostendit *gl. ad l. rem non novam, &c. C. de judiciis.*

diciis. Bulgarius enim vespere viduam uxorem duxerat, & mane *l. illam.* Rem non novam, &c. explicare incepit, quare derisus fuit ab auditoribus, ut *notat Accurs.* Sed & Verrius Flaccus, ut refert Varro juris Pontif. peritissimus, eos qui viduas ducerent veteres fossas tergentibus comparare perquam facete solitus fuit: Hæc enim ejus fuisse sententia fertur, quia feriis tergere veteres fossas liceret, novas facere jus non esset, ideo magis viduis quam virginibus idoneas esse ferias ad nubendum, *Macrob. lib. 1. Satur. n. 15. Alexand. ab Alex. Genial. dier. lib. 2. cap. 5.* Quamobrem non immeritò præcipit *Hesiod.* virginem ducendam esse ut gratis moribus imbui possit, *lib. 2.* Ἔργων καὶ ἡμερ.

Παρθενικὴν δὲ γαμεῖν ὡς κ' ἤθεα κεδνὰ διδαξῃς.

ejusdemque sententiæ est *Aristoteles libr. 1. Oeconom.*

CAP. XXVII.

Num conducat virgini juveni nubere seni sexagenario de ponte dejiciendo?

QUare sexagenarii de ponte dejici dicantur, tradit *Marlianus in Topog. urbis Rom. lib. 7. c. 7.* Romæ Post incensam à Gallis urbem, ob inopiam cibariorum decretum

cretum latum, ut Sexagenarii è ponte Sublicio, cujus vestigia adhuc in medio alveo Tyberis ad Aventini montis radices cernuntur, in Tyberim tanquam patriæ inutiles dejicerentur, unde Sexagenarii *Depontani* dicebantur. Veritas tamen hoc habet, quod Sexagenarii à suffragio repellebantur, & ita eos ponte dejici solitos ferunt; ast neutram harum opinionum probandam fore censet *Hier. Ferrutius in addit. ad Marlianum*, cum non habeant certos auctores, sed vulgi prorsus sit opinio. Ovid. suadet: *Si vis nubere nube pari.* Quæ enim amicitia inter conjuges impares? inter sexagenarium & juvenem puellam? quam jucunditatem, proprium connubii, puella à sene expectabit? Aristoteles duo de viginti natas annos puellas nuptui collocandas censet, virum autem sexto & trigesimo ætatis anno opportune uxorem ducere asserit, ejusmodi ætates perfectæ sunt ad sobolem procreandam, quod & causa fuit *Imp. in l. 27. C. de nupt.* qua sexagenarius minorem quinquagenaria ducere prohibetur. Cum sint tria bona matrimonii, fides, proles, & sacramentū, *cap. omne itaq; 27. q. 2. Curtius cons. 66. sapienter col. 3. Iason in l. 1. col. 12. ff. solut matr. Ioh. Lup. in Rubr. de donat. inter vir. & uxor. char. 12. in col. 1. Gilbertus post 2. OEconomicorum philos. in quæst. chart. 6.* deficiente uno, & sic bono prolis non valet matrimonium, *Præ-*

pos.

poſ. in cap. tanta, col. 3. & ſeq. C. qui fil. ſint leg. Et per hoc fundamentum *Portius in inſt. de nupt. col. 3.* dicit ſenem non poſſe nubere. Cùm igitur iſti adeò ſenes non poſſunt dici habere ſpem prolis, nec ejus reſpectu contrahere matrimonium, videtur, quod uxorem capere non poſſint, non enim ſufficit eis quod ſuper ripam Acherontis vitulus depaſtus ſit niſi antrum ſubintraverit, *Præpo. in c. fraternitatis in pr. de eo qui cognov. conſ. uxor. Portius inſt. de grad. cog. col. 3.* quia verus coitus non fit ſine erectione virgæ. *Ariſt. part. 4. prob. 23.* & niſi intret, nec ſufficit emittere ſemen inter crura. *Curt. conſ. 98. incipi. Chriſtoph.* nec ſufficit etiam recte ambulare ſi iter non perficiat; & ſic habere haſtam rectam ſine effectu. *Soc. inl. 1. col. 3. ff. ſol. matr. Sylva nupt. l. 2. n. 12.*

CAP. XXVIII.

Num virginitas totaliter perdatur actu Venereo?

ANglus *Clavaſinus in Summa in verbo Virginitas §. 2.* Quæ requiruntur ut amittatur Virginitas? Reſpondet, quod requiritur primo pollutio completa, ubi ſciendum dicit, quod triplex humor de genitalibus ſtillat, ſcilicet ſemen, ſecus humor ſimilis ſemini, qui eſt medius, & ſtillat

quandoq; ex solo tactu vel auditu turpium, tertius est urina. Perditur autem Virginitas per solam seminis resolutionem, quæ locum coitus supplet, vel ejus complet delectationem. Secundò requiritur ut amittatur, quod talis delectatio sit ex voluntate operante vel consentiente vel non dissentiente, vel non quantum potest, renitente, nam voluntate de medio sublata omnis actus est indifferens. *Bald. in l. fediſſimam per illum tex. C. ad l. Iul. de adult.* non ergo definit esse virgo cujus virginalis clausstri eruptio facta est medicinali arte ita morbo exigente, ut docet *Masc. de prob. in conclus. incip. Virginitas. n. 7. Thom. Actius de infirm. p. 2. lit. V. verb. Virginitas.* Alii tamen volunt, quod si etiam pollutio non sequatur, ut in illis qui sunt ante tempus, seminis qui tamen explent coïtum, vel per turpem actum, vel per commixtionem cum alio, & hujusmodi amittatur & placet, tamen per pœnitentiam recuperabitur. Ulterius. §. 3. 4. 5. *hinc Mart. Navarrus in comp. man. præs. 6. n. 1.* Vis inquit absoluta & coactio ad fornicandum sine sensu voluntatis licet aliquam delectationem accipiat, de ipso actu, dummodo non cooperetur, neque in ipsum actum, neque in delectationem consentiat, excusat à peccato & amissione virginitatis ex S. Lucia. Idem *dicto libr. præl. 6. num. 3.* Non est peccatum, quando omnino renitentis puellæ

læ virginitas violatur, adde quod nec corrumpitur virginitas, sed duplicatur ad coronam, teste S. Lucia Syracusana, ut refert *Gratianus* 23. *q.* 5.

CAP. XXIX.

Num virginitas semel amissa possit restitui?

S. *Hieronymus in epist. ad Eustach. & relat.* 32. *q.* 5. *cap. si Paulus super Amos* 5. Virgo Israël cecidit & non est qui suscitet eam. Audacter dicam cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam. Valet quidem liberare de pœna, sed non valet coronare corruptam, &c. habet enim hoc donum virginitatis sicut sericum, quod cum semel in lutum cadit, nunquam perfectè abluitur, quin semper macula appareat. Idem dicit lex, quod virginitas restitui non potest, *l.* 1. *in pr. C. de rapt. virg. ibiq; Salicet.* Quidam sic intelligunt, id est, quod Deus non potest facere, quin fuerit corrupta, quia factum non potest esse non factum, *l. in bello §. sacre. ff. de captiv.* Et quod hic dicitur non refertur ad carnis corruptæ restaurationem, sed virginalis palmæ retributionem, & Dic: Non potest, idem est, non congruit ejus potentiæ ut aureola coronet corruptas, hoc enim esset contra justitiam, & ideo illud non potest.

ut *arg. de pen. di. 2. §. charitas sequuntur S. Augustinus, S. Ambrosius, S. Iohannes Chrisostomus, quos refert Basilius Gradi in trattato della virginita c. 16. L. Apulejus in Apologia.* Sola virginitas inquit, cum semel accepta est, reddi nequitur: ibique *Scip. Gentilis in not. n. 911. Simon Majolus in diebus canicularibus colloq. 4.*

Cap. XXX.

Num siet sufficiens probatio amissæ virginitatis Hymenis.

TRadunt Medici pro comperimento virginitatis, quod primus concubitus cum fœmina siet asper & durus ob fractionem Hymenis, quod est cuticula parvula intercludens ingressum & matricem vulvæ, ad quod etiam Moses videtur respexisse *Deut. 22. vers. 13.* cum seqq. in cujus loci expositione *Erasmus Marbach.* comment. in pentateuch. non abs re conjicit lintea primi concubitus præsentibus testibus à parentibus in locum securum reposita fuisse, ut ubi usus esset, filiarum pudicitiæ indubitato testimonio essent. *Alex. in l. item apud Labeonem. §. si quis virgines. ff. de injur. Abbas in c. proposuisti de probat. Socin. jun. in consil. 102. in 2. part. Barbat. in d.c. proposuisti. Cotta in memorab. in verb. Hæres suus.* & statur assertioni mulieris

contra

contra delinquentem, quod fuerit virgo. *Alex. in conſ.* 229. *n.* 2. *vol.* 6. & quod præſumatur gravida ab eo qui ipſam cognovit, *Alex. ibid. Cæſar Vrſilius in addit. ad Afflict. deciſ.* 236. *n.* 2. *&* 3. *Ann. Robe. lib.* 14. *rer. judic.* 10. *Georgius Schell. in repetit. potiorum tradition. de indic. & Tortura th.* 26. morem civitatis Nolenſis refert probari virginitatem de præterito per pannum ſanguinolentum, *Afflict. deciſ.* 236. *num.* 3. Verùm *Ambroſius Paræus* regius ille Galliæ Chirurgus, tanquam fabulam & figmentum quicquid veteres de Hymene cantarunt, rejicit, cum ipſe in tot virginum & puellarum anatomiis nullum invenerit, ſanguiniſque profuſionem in primo concubitu, ex anguſtia & fractione tenuium venarum oriri, cum in adultis virginibus nullus dolor, neque ſanguinis effuſio in primo concubitu advertatur. Sed & ſummi Medici & Philophi, etiam quidam Juris-Conſulti prodidere, nullum eſſe Hymen, ut doctiſſimus Cujacius & diligentiſſimè omnium ſententiis expoſitis ſcripſit *Albericus Gentilis in lib.* 7. *De nuptiis.*

CAP. XXXI.

Num ob absentiam Hymenis sponsus sponsam repellere queat?

IOh. Chrysostomus ait *super Matth. cap. 9. relat. 32. quæst. 1. c.* Sicut crudelis & iniquus est, qui castam dimittit uxorem; sic fatuus est & injustus qui retinet meretricem. Patronus enim turpitudinis est qui celat crimen uxoris, ibique gl. Et frustra quis petit sibi fidem servari ab eo cui ipse non servat. *c. frustra de R. I. in 6.* quorsum enim tu castam tibi virginem postulas, quum tuum corpus luem contraxerit? aut cur dimidiam tui partem purgatam desideras, alteram autem partem pollutam retineas? pulcrè & verè regiè docet *Iacobus Scotiæ & Angliæ rex in* Βασιλικῷ δώρῳ *lib. 2. ad filium suum* Henricum. Si enim metuit Imp. Justinianus, ob non solutam dotem, mulierem à viro forsitan repelli & distrahi matrimonium, *l. generaliter. fin. ff. ad SCtum Vell. ibique Bald. l. fin. C. de sent. quæ sine cert. quant. prof.* & est ratio, quia ex dote tenetur vir onera matrimonii sustentare, ut *in cap. salubriter. de usu. & l. si cum dotem, §. sin autem ff. solut. mat. in c. per vestras de donat. int. vir. & uxor.* & ibi *Abbas. Bald. in l. in divis. ff. eod. Platea in tr. restitutionis,*

nis. n. 64. per l. si donarius. ff. de condit. ob cauſ. 30. q. 5. c. nullum ſine dote. Gl. notab. in §. fin. in verb. onera. Auth. de non eligend. ſecundo nubentes, Iaſ. in §. fuerunt, n. 98. inſt. de act. Bald. reputans eam gl. ſingularem & mente tenendam, in c. quemadmodum. n. 8. verſ. ult. ſciæs. de jurejur, Vincent. Carocc. de patr. fil. dot. q. 20. Boër. deciſ. 22. num. 1. Bald. in ult. C. ad Velleian. Bald. in l. uxor. num. 2. ff. de negot. geſt. & Gail. obſervat. 87. lib. 2. pract. obſerv. num. 2. & obſerv. 95. n. 16. libr. 2. Hermannus Meyrer de præferent. credit. lib. 2. t. 6. n. 8. Quantò magis ob interitum illum dotis internæ caſtitatis videlicet & pudicitiæ repellenda erit, ut enim dona animi interna præferuntur donis externis, & ICtus Pomponius in l. 1. ff. ſolut. matrim. Dotium cauſa ſemper & ubique præcipua eſt, nam & publicè intereſt dotes mulieribus conſervari, cum donatas eſſe fœminas ad ſobolem procreandam, replendamque liberis civitatem maximè ſit neceſſarium, dict. leg. fin. C. ad SCtum Velleian. Caſtitas autem ſumma dos ſiet virginis, utpote quæ & major in ſexu fœmineo requiritur quam maſculino, l. ſi qua illuſtr. C. ad SCſultum Orfitian. leg. oratione. de ritu nupt.

CAP.

Cap. XXXII.

Num virgo nupta mater esse volens ab impotente marito diverti queat?

IMpotentia coëundi est vitium animi, vel corporis, vel utriusque, quo quis impeditur alii carnaliter commisceri secundum Ray. & sunt tres ejus species; prima dicitur *naturalis*, ut frigiditas in viro, arctatio in muliere, & defectus ætatis in utroque vel altero. Altera est *accidentalis*, quæ provenit à causa extrinseca & accidentali, ut castratio, & tertia *maleficialis*, quæ à dæmonibus provenit. Circa frigiditatem & arctationem ad hoc ut impediat matrimonium contrahendũ, & dirimat contractum, requiritur; primò, quod præcesserit tale impedimentum matrimonium, quod si adveniret post contractum, non dirimeret, licet esset rationabilis causa dispensationis fiendæ per Papam, vel alter aptus contrahere cum alio si nondum erat matrimonium consummatum, *ut no. Pau. in c. ex part. & in c. ex publ. de conver. conjug.* Idem dicitur de impotentia accidentali, secundum eundem Paul. *c. qui sedem. & c. consultationi de frig. & malef.* Secundò requiritur quod sit tanta quod nullo modo possit coïre, hoc est: secundum *Petr. de Palude*, quod

quod sit talis, quod impediat actum perpetuo saltem, quia licet impediret effectum generationis, sed non actum, qui est emissio seminis in vase, non esset impedimentum. Tertiò, quod sit perpetuum impedimentum, ita quod nullo medicamine aut remedio possit removeri, quia si posset sine periculo mortis removeri, non dirimeret, hoc *no. in c. 1. & 2. 33. quæst. 1. cap. 1. & 2. de Frigid.* quia quando non potest juvari impedit, ut notat *Ricardus in 4. distinct. 34.* & eadem ratione de nimia caliditate, quæ coïtum impediret, secundum *S. Thom. ead. distinct.* Quartò, quod sit ignorans quando contrahit de tali impotentia, quia secundum *Petr. de Palude*, qui scit se vel alium impotentem, & eum accipit, non potest amplius eum dimittere, quo ad vinculum quod est verum matrimonium, ut *in d. c. consultationi de frigid.* Et hæc quatuor etiam requiruntur in impedimento accidentali ut dirimatur. Circa verò impedimentum naturale vel accidentale est sciendum secundum *Pa. in c. 1. de frigid. & male.* quod quando non potest per aspectum probari, semper debet ad minus habitare per triennium antequam matrimonium dissolvatur, ut *in c. fin. eod.* Secus in impedimento quod potest per aspectum probari, ut *in c. fraternitatis, de eo qui cognov. consang. uxor.* vel per juramentũ proprium, cum septima manu pro-

propinquorum, ut *in c. laudabilem. eod. tit.* quia ſtatim poteſt dirimi. Circa vero maleficiatos advertendum, quod aliquando quis eſt maleficiatus reſpectu omnium, & ſic contrahere non poteſt, & ſi contrahit, poſt primum matrimonium contractum, & conjungitur cum ſecunda, redire tenetur ad primum, quia patet quod impedimentum non erat perpetuum, & ideo primum matrimonium fuit firmum. Si autem ſit maleficiatus reſpectu unius perſonæ, ſic non reſtituetur, quamvis cognoſcat ſecundam, quia primum matrimonium fuit nullum, & ſecundum fuit validum. *Angelus Clavaſinus in ſumma. in verbo matrimonium 3, impedimento* 16. §. 1. 2. 10. & 12.

Cap. XXXIII.

Num virgo ita arcta ut mulier fieri non poſſit, matrimonium contrahere queat?

INveniri puellas velatas & attritas, quas vocant, quæ ita clauſæ ſunt in pudendi ſinu & ore uteri, ut nec conſuetudinem viri ferant, nec affluant menſtrua, conſtat. Et non perforatum meminit *Ariſtoteles in 4. de generat. animal. c. 4.* & dicit Pontifex *in c. 3. de frigid. & malef.* quod ſi vitium illud mulier à natura contraxit, nec ope medicorum poterit

terit adjuvari, viro aliam accipiendi tribuat facultatem. Item *c. 4. d. tit.* resp. Pontifex, quod licet incredibile videatur, quod aliquis cum talibus contrahat matrimonium, Romana tamen Ecclesia consuevit in consimilibus judicare, ut quas tanquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores juxta Augustini dictum. Si non possit cohabitare, ut conjux, cohabitet ut frater, vel soror. Sed quid jus civile Romanum de talibus? *Iurisconsultus Vlpianus in leg. quæritur 15. §. mulierem. ff. de ædil. edict.* ita arctam ut mulier fieri non possit, sanam non videri constat. Maritus ergo qui vult esse pater liberorum, licitè divortium ab ea petere potest. Favor enim liberorum maximus erat apud Romanos, §. *si enim tres liberos. §. filii autem. superstites. instit. de excusat. tut. vel curat.* & dabatur privilegium illis, qui sobole civium numerum multiplicabant. Augustus Cæsar in Oratione ad maritos. Item, ad Cælibes *apud Dion. Cassium Nicæum. libro 56.* tum maximum & præcipuum munus ac officium mulierum est accipere, & tueri conceptum, *d. l. quæritur, in pr.*

CAP.

Cap. XXXIV.

Vtrum mulier propter arctitudinem separata à primo viro, & conjuncta secundo, quando efficitur habilis primo, propter usum secundi, sit restituenda primo?

Resp. Pa. *in c. fraternitatis. de eo qui cognovit cons. uxor. suæ.* quod si non poterat conjungi primo viro antea sine periculo mortis, per aliquod remedium, quod non restituitur, sed stabit cum secundo, quia cum primo non fuit matrimonium, ut tenet *Abbas, & Petr. & sequitur Ioh. Andr. in d. c. fraternitatis. in fin.* quod verum limita, quando apertè apparet de dissimilitudine membrorum amborum, alias esset restituenda, quia videtur Ecclesia decepta. Et sic concordant Doctores.

Cap. XXXV.

Num ab incubo infestata virgo amittat virginitatem?

Plurimi trahunt ortum gigantum ad Dæmonum concubitus, quod testatur & *Bonaventura in 4. sentent. dist. 44.* Is cum negasset monstra resurrectura esse, ob id quod

quod in iis non naturæ veritas, sed error potius sit; hæc addidit: *Si sunt magnitudine gigantes in via, in patria non erunt*: Si vero quæras unde habuerint ortum, dicendum, quod sicut narrat Josephus, dæmones incubi assumptis corporibus generent, & Dæmon ostendit mulieri, cum qua concubuit, figuram talem hominis maximi, & ideo tum propter seminis multiplicationem, tum propter virtutem animalem generatus fuit homo miræ magnitudinis, & ille postmodum alios generavit. Verùm plerique negant medias illas potestates esse, quas Plato in Symposio statuit: hinc & *Theodorus Byzantius* & nonnulli allii Philosophi senserunt, simulacra & nocturnas apparitiones sapientibus nunquam apparuisse, sed pueris mulierculis vecordibus atq; ægrotis, qui per imbecillitatem animi aut corporis assidua formidine quatiuntur, & inanes, vanas; atque ab omni veritate alienas opiniones amentia quadam ducti sibi persuadent. Unde & *Remigius in Dæmonolatreia sua* negat spirituum cum mulieribus commistionem. Quid enim corporis expers cum corporeo agere potest? aut concesso, quod ad tempus assumant corpora; ea aut è nubibus & terræ vaporibus erunt composita, aut mortuorum hominum cadavera indura; sed quid illa corpora, cum simile procreet simile, assumta, omnique

calore

calore penitus destituta ad procreandum idonea erunt? Etiamsi semen aliunde auferatur, ut contendunt quidam Magiæ scriptores, illud tamen quamprimum vase egreditur debito, frigidum redditur, & ad omnem generationem inhabile, ideoque pollutio illa & titillatio nocturna, quam sentiunt virgines, ex pravis cogitationibus diurnis summo appetitu, maximoque pruritu, seminisque copia abundante oritur & contingit. Spiritus enim cui neque caro, neque sanguis, neque membra famulantia generationi concessa sunt, quomodo coire desideraret? qui cibo non reficitur, unde cibi superfluitatem semen, unde pruritum libidinis haberet? immortalis an successorem cuperet? Incorporeus num in complexum corporis venire possit? Et si generaret, nonne sibi similem potius spiritum, quàm corpoream substantiam produceret? quo dato jam dudum omnia dæmonum plenissima forent? Et quamvis multæ sagæ congressum Satanicum expertæ ac peperisse dicantur, Resp. melancholicas ac pituitosas mulieres sæpius recubantes incubo vexari, præstigiisque venereis deludi posse, sine tamen semine masculo concipere, fœtumque corporeum excludere non admittendum censet *Tandlerus in orat. de fascino & incan. q. An Lamiæ Venerem exerceant. p. mihi* 18. & 19. si quando igitur Lamiæ peperisse visæ

visæ sunt, partum vel imaginarium fuisse, vel suppositititium credibile est. *Laurentius Anania tamen in libr. de natura dæmonum* contrarium huic planè statuit, pleroſque namque heroas deperditoſque homines ex tali concubitu ortos esse scribit, Neronem ex angue conceptum, Merlinum illum vatem Anglum ex incubo procreatũ, astipulatur huic *Strozius Cicogna in theatro univ. natur. seu magia omnifaria lib. 3. c. 3. allegans Scot. in 2. sent. d. 7. q. 1. Aug. lib. 15. de civ. Dei. c. 23. & lib. 1. q. sup. Gen.* 43. cujus verba sunt: Fama, inquit, vulgatum est, & à multis approbatum atque etiam acceptum ab iis de quorum fide dubitari non debet, Faunos & animalia quædam sylvestria à vulgo Incubi dicta, mulieribus ita moleſtos fuisse, ut concumbere cum ipſis luxuriemque explere cupierint, recenset ex Henrico Inſtitore & Jacobo Sprangereo exemplum, de monacha diu ab incubo tentata. Ex incubis vel succubis geniti videntur, quos Mahometani Noſſefoglios vocant, & è Spiritu Sancto natos impiè credunt. Saxo Grammaticus, & alii ſcriptores affirmant Gothorum reges è matre nobili & Spiritu incubo urſi formam gerente ortum habuiſſe. Iohannes de Barros auctor est Peguſianos & Seianitas Indiæ populos à mulieribus dæmonum concubitu imprægnatis originem traxiſſe. Incubos generare *Beda* in hiſtoriis Britonum, & multæ aliæ

aliæ scripturæ testantur. Qua autem ratione hoc fieri possit, non videtur, nisi hac sola, quod virile semen effusum mox in vas muliebre cũ debita temperantiæ qualitate transfundant. Sed sic proprie generare incubum non dicendum, infinitas tamen rationes latere humanis ingeniis in rerum secreto naturæ pleniſſime confitendum, & pauciſſimos respective hominum sensibus apperere. Et incubos Dæmones oppressisse fæminas quasdam, alias Venereis confabulationibus, ad concubitum illexisse, in veneficiis utriusque sexus in parte Orientali Flandriæ atque Brabantiæ per judices seculares deprehensum est, & scelus illud extremo supplicio punitum: confessique sunt occasione hujuscemodi perversissimæ voluptatis se ad veneficij crimen protractos: & quamvis essent conjugati, quod tamen relicto thoro legitimo, alter succubo, altera incubo multo tempore sceleratissime permixti fuerint. Similia scribunt in Germania contigisse ante annos centum *Iacobus Sprengerus & Henricus Institor in malleo malef. part.* 1. *q.* 1. *cap* 4. *& Innocent. VIII. in epistola decretali adversus maleficos. extat in* 7. *decretal.* De incuborum generatione late agit *Petrus Boysteau in libro Gallicè edito, de historiis prodigiosis*, ubi multis in utramque partem citatis auctoribus & exemplis, docet eos nullo modo

modo generare posse, quia generari nequit homo nisi ex humano semine. Verum hæc ratio nulla est, nam si generare posse dicamus incubum, non id fiet ex proprio semine, quo caret, sed humano aliunde petito, ideoque nec filius dæmonis erit, quia ex hujusmodi nascetur concubitu, sed illius hominis, cujus est semen. Eos itaque generare posse plerique omnes confitentur, ut *Thomas in 2. d. 8. art. 4. & in summa p. 1. q. 51. art. 3. Durandus ibid. q. 2. Iacobus Sprenger loco citato. Goscaltus Hollen. serm. ult. in 6. præcept. Decalogi. Sylvest. verb. Matrimonium 8. n. 15. §. 2. Franciscus Vallesius in libr. de sacra Philos. cap. 8.* Ubi putat cum Josepho eorum opera gigantes illos de quibus in *Gen. c. 6.* genitos esse: & plures alii quos citat *Benedictus Pererius libr. 8. commentar. in Genesin disput. 3.* sed ipse nihil determinat.

CAP. XXXVI.

Legatum puellæ minori ut intelligatur?

INtelligitur cum erit viripotens, non enim dicitur nupta quæ virum pati non potest, *l. quod puellæ. ff. quando dies legat. ced.* & si ante ætatem nubilem decedat puella, non transmittit, si conditio sit adjecta substantiæ legati,

gati, secus si præstationi, *Bal. in l. si cui legetur. §. 1. ff. de leg. 1. illustriss. Mantica. de conject. ult. vol. libr. 11. tit. 23. num. 27. Actius de minor. in del. ct. excus. q. 21. num. 3. & 4.*

Cap. XXXVII.

De donatione virginum.

DOnationem ex pluribus reddi invalidam ob doli suspicionem scripsit *Augustinus Beroius cons.* 59. licet de simplici per totum vol. 1. interdum ratione personæ, ut quando formosa adolescens pulcro juveni donat, subest enim doli suspicio re ipsa ex timore inhonestatis, *Beroius loc. cit. num.* 13. *per text. in leg. si. in fin. cum gl. ff. de A. & O. & ibi. Alex. in apostil. ad Bartolum. & Paulus de Castro in l. post contractum. ff. de donat.* licet facta à juvene formoso pulcræ adolescenti valeat, etiamsi subsit aliqua suspicio inhonestatis. *Beroius dict. n.* 13. *per text. in l. affectionis. ff. de donat.* quo casu ubi Donatio nulla est ex suspicione inhonestatis, quædam natam à jure saperet turpitudinem, forte non male diceret, qui vellet donationem nullam quidem esse, quo ad donantem & donatarium, donata tamen pertinere ad fiscum, & ab adolescente donante tanquam

ab

ab indigna auferenda per ea quæ de clerico donante concubinæ ut applicentur fisco, dicit *Capra cons.* 127. *Quidam Rodonellus Vivius in commun. opin. opin.* 205. *Donatio facta concubinæ n.* 5. *vers. limitatur, & Bart. in l. mulierem. ff. de his quibus ut indign.* Et ita tandem fuisse judicatum in supremo senatu regni Lusitani quâvis sibi visa fuerit dura decisio, testatur *Anton. à Gama in dec.* 58. *in proces. caus. in fin.* sed certe non adeo demiratus fuisset Gama hanc opinionem si Grat. Vivium, Bartol. locis citatis vidisset secundum Ripam in *tr. de Nocturno tempore cap.* 105. *de donat. n.* 1. 2. 3. 4.

Cap. XXXVIII.

Num virgo sine tutore donare possit?

CVm mulierum genus avarissimum sit *gl. in § quoniam infirmus in verb. Maximè auth. de nupt. Bartol. cons.* 127. *part.* 1. *Tiraquel. de retract. convent. in præfat. n.* 35. *vers. super eo tamen. post Barbat. cons.* 8. *illud afferam. col.* 5. *vers. modo in proposito. lib.* 4. *Ripa de nocturn. temp. c.* 17. *n.* 85. adeo ut pro miraculo habeatur ejus donatio, de jure civili definitum est, donare ipsam non posse, *l. filium. fam. in pr. ff. de donat.* De jure verò Saxonico virgines & viduæ sine tutore donare possunt *text. est in artic.* 45. *Landrecht*/ ideo errant, qui

illarum donationes infringere volunt, propterea quod sine tutorum autoritate donaverint, sunt enim validæ & firmæ, dum modo ejus ætatis sint, ut tutorem habere non teneantur, & tutoris non interfit, ex quo sequitur, quod virgines absque consensu tutorum contrahere possint. *Landrecht. d. ar. 45. Schneidew. Inst. de donat. inter vivos. §. aliæ. num. 53. &c.*

Cap. XXXIX.

Num si virgo persuadet juveni, se esse divitem, & ita inducat illum ad promittendum matrimonium, subveniatur juveni si contrarium comperium sit?

Decidit *Iob. de Imola in cap. cum dilectus. extr. quod met. caus.* Quod non: sicut nec error fortunæ facit ut matrimonium dirimatur, ut est *tex. inc. 1. 29. q. 1. adde la. in l. pact. 1. novissima. C. de pact. & Alb. in c. cum dilect. de empt. & in d. c. cum dilectus. ubi post Innoc.* præd. limitat. nisi esset tantus & insignis dolus qui removeret consensum & prudentissimum quemque falleret, isto casu subveniretur decepto, nisi postea per voluntariam ratihabitionem iste dolus esset purgatus, argumen. *c. de illis. de desponsat. impub. Nevizan. in sylva nupt. lib. 2. n. 58.*

Cap.

CAP. XL.

Num virgo possit esse legata?

QUod Romani, ut videre est apud Livium lib. 2. sæpius & dederint & acceperint obsides puellas virgines, sive prætextatas, nunquam vero mulieres corruptas, hic de virgine legata agendum duxi. *D. Gœddæus in comment. ad l. mulieris 13. ff. de V. S. n. 11.* hoc axioma tradit: prohibitiones legales, interpretationes, & alia jura ad mulieres pertinentia, comprehendunt etiam virgines viripotentes, nisi subjectum vel circumstantiæ qualitatis aliud suadeant, ideoque cum intercedere, postulare, procuratorio munere fungi, judicare, magistratum gerere mulieres prohibeantur, *l. 2. ff. de R. jur.* intelliguntur etiam virgines viripotentes prohibitæ per *d. l. mulieris fac. c. unic. § quin etiam Epis. Abb. c. 2. in pr. & fi. de succ. feud. c. 1. §. ad filias. de succ. fratr. de usib. feud.* Et *Vlp.* proficisci procos melius sine uxore existimat, in *l. 4. ff. de offi. proc.* multo minus igitur mulierem solam proficisci, aut legati munere fungi permittet. Ratio perquam lepida est apud Kirchner. in legato, cum natura illas partes, quæ ad sessionē sunt destinatæ, latiores in fœminis fecerit, quam

in viris, innuens domi eas manere debere. Et in *d. l. 2. ff. de R. I.* vbi fæminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis removent, interpetationis nullam rationem addunt, nisi quod moribus ita receptum sit Romanis, non attenta consuetudine alias rationes assignari posse ego duco. In judice siquidem ut & in legato requiritur animi gravitas, auctoritas & constantia, cujus animi motum vultus non detegat, *l. observ. ad. ff. de l.* quæ in fæminis desunt, & si adsunt scurrilitas potius & inanis audacia censetur, quam gravitas, secretum si quid agendum fiet, taciturnitas rarum, rarissimum imò in fæmina donum est. Nec refert, quod Doctores hanc regulam fallere aiunt in dignitatibus hereditariis, exemplo Reginæ Siciliæ *Iohannæ*, quam in regio solio sedentem & sententiam dicentem vidisse refert *Angelus*: exemplo Elizabetha Anglica, quæ per multos annos feliciter regnavit. Resp. quia *d. l.* non loquitur de talibus dignitatibus hereditariis, sed de civilibus & publicis officiis constitutæ bene reipub. Virginem igitur Legati munere fungi haud posse concludo, non enim possunt esse virgines de consilio, quia sunt molles, imbecilles & leves *Bened. in repet. c. Raynutius fol. 14. col. 4. de testam.* & missio Veturiæ matris Coriolani apud Liviam non fuit proprie legatio, sed deprecatio.

CAP.

CAP. XLI.

Num virgo possit esse miles armatus?

PRimo intuitu videtur dicendum, Quod non, quia non potest esse miles togatus per *l. 2 ff. de reg. iur.* inhibitum siquidem est fœminis munus notariorum, procuratorum, proque aliis intercedere, & ratio quidem prohibendi, ne contra pudicitiam sexui congruentem alienis causis se immiscent, ne virilibus officiis fungantur mulieres. Origo vero introducta est à Carfania improbissima fœmina, quæ inverecunde postulans, & magistratum inquietans causam dedit edicto, *l. 1. §. 5. ff. de postulando*, jam de milite terrestri ad advocatum, quem militem togatum interpretes jur. civil. denominant, argumentum ducitur per doctr. glos. quæ existimatur singularis in jure *in leg. miles. de re ind.* quæ scribit patronum causæ atque advocatum habere idem privilegium, quod miles armatus, & ratio est in promtu & colligitur ex constitutione *Imp. in l. advoc. C. de adu. diversi. jud.* qua cavetur advocatos æquiparari militibus & militare, cum per eos tanquam per milites vita & patrimonium hominum defendantur, & deriſorium esse à fœmina quærere de militia, dicit *Angelica Summa* in verbis, inter-

rogationes in confessione. §. 2. *Sylva nup. Neviz. lib.* 1. *n.* 29. Inveni tamen ego textum *in l. bello amissi* 18. *ff. de excus. tut* ibi, eos solos qui in acie amittuntur, prodesse debere, *Cujuscumque sexus vel ætatis sint*, quem textum non legi ab alio esse observatum: ex quo colligo virginem militem agere posse, sicque etiam ex consequenti privilegiis gaudere militaribus, utpote quæ militibus nullo habitu respectu ad sexum concessa sunt. Exempla (quamvis iis judicandum non sit *l. nemo judex C. de sentent. Glos. instit. de jur. nat. gent. & civ. § ex non scripto.* bonum tamen est, ut inquit Seneca, interpretari præcepta, breve & efficax per exempla, & res magis clarior fit & manifesta exemplis *l. prope. §. quoties de collat. bonor. §. hactenus. Inst. de gradibus, & exemplis vivitur. Novel.* 22. *cap.* 21. *in fin.*) sunt antiquæ illæ Amazones de quibus multi meminerunt & apud Græcos & apud Latinos, non poetæ solum qui fabulosa tractant, verum etiam historici quos à vero recedere turpissimum est. *Trogus Pompeius, Diodorus, Ephorus, Strabo, Æneas Sylvius de secunda Asiæ part. cap.* 20. Camilla regina Volscorum apud Virgilium: meminit & Virg. Penthesileæ Amazonum reginæ libr. 1. Ænied.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens mediisque in millibus ardet
Aurea

Aurea subnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.

Fuerunt & in expeditione illa suscepta ab Alemannis Conradi Cæsaris auspiciis in Palæstinam virorum comites fœminæ quædam ingentis animi, quæ armatæ insidentes equis Amazonum speciem præbebant, ut refert Glycas annal. *Ioanna illa virgo Lotharingica*, vulgo dicta *Puella D'Orleans*, quæ inspiratione divina arma bellica assumens, anno Domini 1430. restauravit regnum Franciæ, Anglicos à regno expellendo vi armata, & regem Carolum ad suum regnum Franciæ restituendo, quæ puella regnavit tribus vel quatuor annis, quam vidisse D. Guido Papæ affirmat q. 84. n. 2. & Aurelijs in ponte statuam meruit quam ipsemet vidi. Testantur de ea historiæ & judicia sub titulo *Sibylla Francica*. tandem fortè in manus hostium pervenit, qui fortitudinem ejus divinam magicis artibus attribuentes atrocissimo crudelitatis exemplo eam concremarunt. Sed & rescripto Calixti Pontif. causæ cognitores constituti Ioannes Archiepiscop. Rhemensis & Wilhel. Parisiensis innumeros testes omni exceptione majores, super ejus innocentia, modestia, castitate & religione examinarunt, eamque innocentissimã compererunt ac pronunciarunt, actaque adhuc servantur in scrinio Parisiensis Ecclesiæ, quod Papirius

Massonus testatur. Plura de ea egi in opere *De miraculis mortuorum*, quò benivolum selego Lectorem. Exemplum mirabile, quo ad militiam armatam & togatam fuit Regina illa Anglica, quæ nostra ætate jam post longam regni sui administrationem in vivis desiit esse. Nec refert imbecillitas animi, quæ maxime viget in sexu fæmineo, ob idque vocabulum *Sexus*, non ita intelligendum fore, sed explicari per voculam, vel ætatem, arg. *d. leg. 2. de R. I.* Respondeo. Summam quandoque audaciam in fæmineo reperiri sexu, ut prædicta exempla satis declarant. Et Ennius inquit: *Vos animum geritis muliebrem, illa virago viri*, &c. deinde, bene quidem alternativa illa vel resolvitur in copulam, quando ponitur inter genus & speciem, vel inter totum & partem, ut tradit *Lanfrancus de Oriano in c. quoniam super falsam. de probat. num. 17. tex. in l. sæpe. vers. & cum dicimus de V. S. & in l. Quintus. in fin ff. de aur. & argent. leg.* Verum hic plane inter diversa ponitur. Notum est enim, quid Sexus in homine sit, quidque ætas. *leg. Hermaphroditus. ff. de stat. homin.* Contrarium tenet, quod videlicet fæminæ non conveniat militare, *Alciat. in cons. 11. & Matt. de afflict. in cap. de vasall. milit. qui arma bell. depos.* Verum textus ille loquitur de milite vasallo argumento Rubricæ, de quo contentio nostra non fuit.

CAP.

Cap. XLII.

Ad quid teneatur, qui insectatur virginem?

Resp. *Franc. de Platea in tract. restit. n. 4.* quod insectans virginem & post eam vadens, quocunque vadat, teneatur ei injuriarum, quia propter assiduam ejus frequentiam & insectationem infert virgini multam infamiam, *§ injuria. inst. de injur. & ibi text. in l. apud Labeonem § appellare. & § aliud. ff. de injur.* secus si non frequenter insectetur, sed aliquando gratia solatij & ludi honesti: Et hoc verum quando interpellat de luxuria virginem honestam, secus si veste meretricali esset induta, quia tunc eam appellans & insectans non tenetur injuriarum, *d l. item apud Lab. §. si quis virginem. ff. de injur.*

Cap XLIII.

Virginem deflorans, qua puniatur pœna?

De jure Civili pœnam lex Iulia de adulter. arrogat stupratoribus, si honesti sunt, publicationem partis dimidiæ bonorum si humiles, corporis coercitionem cum relegatione, *§ item l. Iul. inst. de public. judic.* licet, ut inquit *Iul. Clar. §. stuprum non servetur.*

De Jure Canonico Clericus propter ſtuprum cum virgine commiſſum punitur pœna depoſitionis, & eſt communis opinio, ut dicit *Grilland. de diverſ. crim. lib. 3. q. 7. poſt num. 2.* Laicus autem committens ſtuprum cum virgine, tenetur eam dotare & in uxorem accipere, ſi ipſa & pater conſenſerint, ubi verò non conſenſerint, ſolummodo dotem ſolvere tenetur, ſi vero ſtuprator renuerit, tunc prius verberibus tractatus in monaſterium detruditur pœnitentiam acturus, *cap. 1. & 2. de adult.* Lex divina præcipit, ut corrupta virgo dotetur & in matrimonio habeatur *Deut. 23.* Verùm copulativa illa ob rationes, quas adfert *Weſenb. in Pandect. ff. ad tit. ad leg. Iuliam. de adult. nnmero 21.* in alternativam reſoluta eſt. Aut ducatur violata, aut pro ejus conditione dotetur. *c. 1. ubi Dd. Extr. eod.* quod ad eam quantitatem redigi ſolet, quam dediſſet in dotem veriſimiliter corruptæ pater. Id ſequitur *Papo lib. 22. tit. 9. Arreſto 9.* & ita in facti contingentia conſuluit *Chaſſ. conſ. 40.* & & hoc idem etiam ſervatur in Hiſpania, ut atteſtatur *Anton. Gomeſ. ſup. l. 80. Tauri, num. 7. in fin.*

CAP.

Cap. XLIV.

Qua pœna puniatur ſtuprans virginem per vim?

CApite punitur. §. *fin. autem per vim. inſtit. de public. jud. Dd. ibid. Iaſ. in §. omnes autem. n. 24. inſt. de action. leg. 3. §. præterea. ff. de vi publ. leg. mariti 29. §. fin. ff. ad leg. Iul. de adult.* De vi publica punitur cujus pœna eſt deportatio, quæ ſucceſſio in locum ejus, qua aqua & igni reo interdicebatur, *l. qui dolo 10. in fin. ubi gl. ff. ad l. Iul. de vi publ. §. item lex Iulia. inſt. de publ. judic. l. ſi quis viduam. ff. de quæſt.* hic addendum, ad conceptionem non requiri voluptatem ſeu ſemen mulieris, quod etiam Phyſici tenent ſecundum *Bertachin. in Repertor. lit. S. verb. Stuprum. n. 6.*

Cap. XLV.

Qua ſit pœna puniendus ille qui defloraverit, ſeu defl orare conatus eſt puellam nondum viripotentem?

IN hoc dubio variant Doctores. *Antonius Gomezius ex cap. 1. de adult.* infert, quod ſi aliquis major & pubes ſtupravit & cognovit per vim aliquam virginem immaturam,

turam, minorem & impuberem : tenetur pœna ordinaria delicti, modò ipsa puella sit viripotens, & possit corrumpi. Si verò masculus sit minor & impubes, non tenetur, licèt sit viripotens & malitia suppleat ætatem ex Saliceto *ad leg. impunit. Cod. de pœn.* Rarò tamen contingit ante duodecimum annum ætatis. Vnde *gl. in sum. 2. quæst. 1.* meminit pueri, qui cum esset novem annorum nutricem imprægnavit, & autoritate D. *Gregorij libro 4. dialog. c. 10. D. Hieronym. teſtatur in epiſtola ad Vital.* presbyterum se audivisse quendam puerum fecisse gravidam nutricem, ubi subdit Solomonem in 10. anno genuisse Roboam. Achaz in 11. anno procreasse Ezechiam. *Cælius Rhodig. lib. 8. antiq. lect. cap. 8. Igneus ad l. 1. §. impubes. num. 9. ff. ad Syllan. Vincentius Caroccius de minor. excuſ. q. 20 n. 6. 7. Ripa de nocturno tempore cap. 23. Iulius Clarus lib. 5. ſentent. § ſtuprum. num. 9.* distinguit inter humiliores & honestiores, illos in metallum damnari, hos vero in insulam relegari, ut est *textus expreſſus in l. ſi quis aliquid 28. §. qui nondum viripotentes. ff. de pœn.* & secundum hanc opinionem consuluit *Signo conſ. 207.* in fine tamen dicit se semper fuisse in voto, quod ubi solum esset conatus ad defiorandum, non puniretur pœna mortis, sed alia citra mortem gravi, puta triremium perpetuò vel ad decennium, ubi verò frangeret

geret pudenda, nullo modo evadere deberet pœnam ultimi supplicij. Baldus indistincte dicit esse decapitandum in *l. si quis non dic. vlt. colum. in vers. ex hoc concluditur*, C. *de Episc. & Cler. & per Iohan. Andr. in cap. 1. de desponsat. impub. Ioh. Fab. in §. item l. Iulia. inst. de publ. judic. Gabriel. Sara in addit. ad Matthes. sing. 99. num. 5. Æmylius Maria Manolessus in addit. ad Repertor. Bertachini in verb. stuprum n. 8.*

CAP. XLVI.

Qua pœna puniatur raptor virginis?

IMp. *Iustinianus in l. unic.* C. *de rapt. virgin.* raptores pessima criminum peccantes capitis supplicio plectendos decernit, etiamsi quis saltem sponsam suam per vim rapere ausus fuerit, nominatque crimen detestabile, nec homicidij crimini dissimile, ut nulla raptor fori præscriptione gaudeat, nullamque appellandi licentiam habeat, ut nec raptor eam legitime sibi conjungere possit, nec sit facultas raptæ virgini vel viduæ, vel cuilibet mulieri raptorem suum sibi maritum exposcere, quoniam nullo modo, nulloque tempore datur à Cæs. serenitate licentia eis consentire, qui hostili more in rep. matrimonia studeant sibi conjungere, nec pater raptum filiæ raptori remittere potest.

test. Nov. 143. c. 1. Novel. 150. §. item l. Iulia. vers. sin autem per vim. Instit. de public. judic. sed de jure Canonico potest raptor raptam ducere in uxorem. Iacobus Butrig. ad dict. leg. 1. Cod de rap. virg. per glos. in c. 2. de hæret. in 6. glos. 20. dist. de libell. per c. tua 36. quæst. 2. de puellis. Iohan. Cald. in consil. & in cap fin. de raptor. & in Spec. de dispensat. §. Nunc de dispensatione Episcopi. vers. 29. alias 28. Cave tamen, inquit, Bertachin. in repertor. verbo Raptor. numero 10. quod loquitur in alia materia, quod nota pro amico liberando à pœna, & Salic. post gl. in d. l. 1. sed perdit bona licet matrimonium teneat Salic. ibi c. pen. c. fin. de raptor. Hippol. Marsil. in l. 1. n. 228. C. de rap. virg. quo in loco concludit multisque exemplis conprobat, in hoc jus Pontif. civili anteferendum, Æmylius Maria Manolessus in addit. ad repertor. Bertach. dict. loco. Vincent. Caroc. de minor. in delict. excus. q. 35. & D. Hieronymus se oppositi concilio determinanti, quod rapta non posset raptori conjungi, ostendens hoc sacris litteris repugnare, Exod. 22. & Deut. 22. propter quod concilium revocavit sententiam, ut textatur gl. in c. de libellis d. 20. & elicitur 36. q. c. 2. tria. c. si autem, &c. c. si placuit. Pa. in d. c. cum causa de rap. tenet, quod si præcessit tractatus determinatus de matrimonio, & ob hanc causam abducit, non committitur pœna de jure Cano-

Canonico. Si vero prædictus tractatus non præcessit, etiamsi puella fuit voluntaria, committitur pœna, 27. *q. vlt. lex illa. ar. 36. q. 1. § ex hoc.* & obligatur ad restitutionem non solum subtracti, sed etiam lucri, quod habuisset ille sub cujus potestate erat secundum Dominum *Iohan. de Platea in sist. de action. quæ ex delict. nasc. §. interd.*

CAP. XLVII.

An transactio super raptu fieri possit?

EST *quidem l. pen. si quis servus. Cod. pro quib. caus. servi liberi. accip. ibi.* Aut pactione Transmissum) ex qua super raptu videtur permissa transactio, eaque sententia est Iohannis Antiqui gloss. & est etiam textus pro hac opinione *in l. qui cœtu. §. qui vacantem. ff. ad l. Iul. de vi publica ibi.* (Etsi pater injuriam suam precibus exoratus remiserit.) Hæc tamen sententia Iohannis communiter reprobatur à Doctoribus, & probabiliorem horum esse opinionem contra Iohannem affirmat *Alciatus num.* 24. quam disputando sustineri posse putat *Iason num.* 14. quam etiam Montalvus probavit *in l. partit col. 2. vers. item nota. solum Baldum allegans.* Horum adversus Iohannem duæ sunt.

sunt rationes. Prior illa est, quod gravius sit crimen Raptus adulterio *dict. l. 1. C. de rapt. virg.* Cum igitur in adulterio non sit licita transactio, neque in raptu qui gravior illo est, licere debet, vulg. *l. nec in ea. ff. de adult. vers.* sed qui occidere. Posterior ratio ab illis sumitur ex text. *in d. l. unic. vers. pœnas. in fin. C. de rapt. virg.* ubi parentes, qui transigunt super raptu filiæ deportatione plectuntur, sed si ex *l. transigere. C. de transact.* dispositione legitimè transigerent, minime punirentur, vulg. *l. Gracchus. C. ad l Iul. de adult.* Sunt tamen plures, quibus Iohannis opinio relata in *gl. placuit.* magis existimantes licere, super raptu transigere, hanc enim opinionem secuti sunt *Oldrad. & Franc. Accursius, quos retulit Alber. n. 19.* qui *n. 20.* affirmat, se credere Iohannis opinionem esse veriorem, eam sequutus, quam *Bartolus* etiam tenet *numero 11. Angelus num. 4. & 8. Fulg. num. 3. Salicetus num. 8. Alex. n. 12.* qui affirmant, hanc esse veritatem. & esse hanc opinionem communem affirmat *Iaf. n. 13. Rimin. col. 6.* communemque esse testantur *Curt. Senior. n. 33. Purpur. n. 67.* eam sequuti, licet Purpur. articulum hunc disputabilem esse pro utraque parte affirmet. commun. esse hanc opinionem præterea testantur *Alc. n. 23. Curt. Iun. n. 35. Claud. n. 21.* eam sequuti, & communem esse hanc opinionem eam se-

sequuti testantur *Gregor. in l. regni. in gl. de adult. Diegas Villalpando ibi gl. 17. n. 4.* tenet etiam hanc opinionem *in d. l. qui cætu. §. qui vacantem. &c. n. 1. Baldus in d. l. pen. C. pro quibus cauſ. ſervit.* & hanc opinionem, quod ex Cyno conſtat, tenuit *Petr. de bella Pertica.* & referunt eam nonnulli ex recentioribus *Iacobus Butrig.* & præter ſuperiores teſtantur eam eſſe communem *Aymon Cravetta. de antiqu. tempor. folio parvo. num. 133. numero. 24. Boerius deciſione 91.* Quorum eæ rationes ſunt præter illa duo jura, quæ jam allegavi, quod textus *in d. l. tranſigere*, quæ adulterium ſolum excipit, videtur innuere in omnibus aliis regulam permiſſivam locum habere, *l. nam quod liquide. § fin ff. de pœn. legat. l. Lucius. §. pluribus. ff. ad Trebel. l. quæſitum. §. denique ff. de fund. inſtr. quam hic allegavit Baldus.* Secunda ratio eſt, quoniam in raptu, non adſunt eædem rationes, quæ ſunt in adulterio, quoniam crimen raptus non adeo frequens eſt, ſicut adulterium, quod paſſim committitur, etſi raro illud in judicij telam deferatur. Nec obſtat huic opinioni *tex. in d. l. unic. verſ. pœnas de rapt. virg.* Quoniam etſi lex parentes puniat, non ex hoc videtur infirmare tranſactionem, quoniam tranſactio valeat ad imponendum finem proceſſui, licet tranſigentes puniantur, ita illi *l. unic. reſp. Bart. in præſent.* & eſſe ejus intellectum communem

affirmat

affirmat *Alex. num.* 12. Sicque habentur utriusque opinionis rationes. Verior tamen mihi videtur negativa: nam quod *leg. si quis serv. verfic.* Aut pactione transmissum, C. *pro quibus caus. servi. attinet.* Resp. non sunt ea verba legis dispositiva, sed enunciativa, sive enarrativa ad morem transigentium propter pecuniam respicientia, & sic non affirmant neque approbant transactionem. Idem Resp. ad ult. *l. qui cætu. §. qui vacantem* ibi. Etsi pater injuriam suam precibus exoratus remiserit, *ff. ad l. Iuli. de vi publi.* nam ex ea apertè patet non esse illam transactionem ex auctoritate legis, alias non admitteretur extraneus etiam post quinquennii præscriptionem ad rei postulationem, ut *in d.l. item quia precibus.* ad transactionem incitatus pater attenta gravitate hujus delicti & pœna transigentium super ea. Nec obstat quod non tanta sit frequentia hujus delicti, sicut adulterii, quia illa non est causa cur transigere non liceat secundum Doctores, sed quia adulterium est crimen cæteris gravius & detestabilius, nam ut Paulus 1 *Cor.* 6. carnis detestans flagitia dicebat: *omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat:* nam etsi inquit eo loco Theophylactus, videatur cum hominem trucidamus, corpore id facinus admitti, non tamen universum ex eo corpus

sordescit, possumus namque vel lapide vel ligno vel alio quopiam tormento ictus infligere, & nihil corpus hoc inquinare, verum tamen nullo pacto licebit sine corpore fornicari, in quo fit ut illud omnino commaculetur. Quid igitur in omnibus peccatis adulterio gravius est? *c. quid in omnib. 32. q. 7.* Non abs re igitur Accurs. quædam, inquit, crimina atrocia sunt, quædam atrociora, quædam atrocissima, ut adulterium, quod tam ægrè fert maritus, ut molestius id patiatur quam proprii filii mortem, & libentius ut *Hieron. in Amos c. 8. ait*, audiat uxorem interfici, quam pollui, adeò ut minus malum sit occidere & furari, quam adulterari. Neque obstat illa exceptio solius adulterii, *in d. l. transigere*, quia licitum est extendere delicta ad similia, imò & ad graviora & majora, quale est crimen raptus *argum. l. C. si quis non dic. C. de Episc. & cler. l. 1. C. de rescript. l. in suis. ff. de lib. & posth. l. 22. §. 3. ff. de adult. Dion. Gothofr. in exposit. d. l. Transigere.* Vers. Potest hoc loco etiam quæri utrum de raptu transigere licet, quem audivi Myrtilletti. Cum igitur de adulterio prohibita sit transactio, de raptu multò magè prohibita censetur. Latius de hoc puncto egi in centuria quæstionum ex jure desumtarum, quæ quandoque supremo auspicio lucem visura est.

CAP.

CAP. XLVIII.

Qua pœna puniantur virgines fricantes seſe &

IN fœdo illo & contra ſexus naturam mulierem inter ſe coitu ejuſque pœna *Clarus lib. 5. ſentent. §. Fornicatio num. 28. verſ. inter mulieres. adducit l. fœdiſſimam 20. C. ad l. Iul. de adult. ut & Petrus Binsfeld. in tract. de confeſſion. maleſic. c. Dubium hic moveri poteſt. verſic. cum nihil afficiatur. circa med. f. mihi 228.* in eadem eſt ſententia, in qua lege pro hoc crimine impoſitam pœnam mortis eſſe volunt, & dicit Clarus eſſe communem opinionem, allegans *Antonium Gomezium ſuper legem 80. Tauri num. 34.* ubi maximè, quod ſalvo excellentiſſimi D. Practici judicio dictum eſſe volo, hallucinatus mihi videtur, nam nullo verbo mulierum inter ſe coïtus meminit ea lex, ſed de illis mulieribus, quæ ultrò ſe ſtupro dedunt, ut & Gloſſa ibi tenet, loquitur, id quod patet à contrario in iis verbis: Non earum, quæ per vim ſtupro compreſſæ ſunt, ubi opponuntur per vim ſtupratæ, & quæ ultrò ſeſe proſtituunt, quæ oppoſitio non procederet inter per vim ſtupratas, & inter ſeſe coëuntes. Dicitur igitur fœdiſſima nequitia *in pr. d. l.* earum quæ pudorem ſuum alienis libidinibus proſternunt,

eò quod ultro poſcunt, quod alias ab ipſis rogatur, & ut gl. exponit; quæ mulier ſponte committit ſtuprum cum aliquo. Quo verò modo illa fricatio fiat, tacere quam exprimere melius eſt, ne virginibus memoria & cogitatio ejus rei daretur. *Gomezius plura refert*, quibus id opus à virginibus exerceatur.

CAP. XLIX.

Num virgo menſtrua non patiens, ſana ſit?

RESP. *Paulus IC. libr.* 11. *ad Sabinum in l.* 15. *ff. de ædil. edict.* Quæ bis in menſe purgatur ſana non eſt. Item, quæ non purgatur, niſi per ætatem accidit, decimotertio ſiquidem anno ſtatim virginibus menſtrua fluere incipiunt ſecundum Ariſtotelem in problem. quæ ſi emaneant, puellas magni & periculoſi morbi manent, quibus plurimæ morti præmaturè traduntur. Sed quid de ea quæ urinam facit? *Vlpian. in l.* 14. *ff. de ædil. edict.* Reſp. non ob eam rem ſanum non eſſe quem, quod in lecto, ſomno, vinoque preſſus, aut etiam prigitia ſurgendi urinam faciat, ſin autem vitio veſicæ collectum humorem continere non poteſt, non quia urinam in lecto facit, ſed

sed qnia vitiosam vesicam habet, redhiberi posse (tanquam morbosum) & verius est.

Cap. L.

An Virgo, cui os olet, sana siet?

IS, cui os olet, an sanus sit, quæsitum est. *Trebatius* ait, non esse morbosum alicui os olere: veluti hircosum Strabonem, hoc enim ex illuvie oris accidere solere, si tamen corporis vitio id accidit, veluti quod jecur, quod pulmo, aut aliud quid similiter dolet, morbosus est, *l. qui clavum. ff. de ædil. edict.* ubi vox Strabonem, quod vitium oculorum est, variè exagitata à doctissimis viris, *Scip. Gentilis in l. Apulei Apologiam. n.* 115. *vers.* Nihil minus, quam oris illuviem libero & liberali viro competere.

Cap. LI.

Qua causa, quod virginis primò menstruum fluxum habentis camisia in ignem projecta, eum sistat?

UT refert *Michaël Papa in sua mirac. medicin. pag.* 1. *fol.* 196. 197. *Coler. Oecon. pag.* 6. *lib.* 18. *c.* 116. Virginis pri-

primum menſtruum in puro linteo obſervant, multis enim prodeſſe ferunt. Sed illud de Camiſia ſuperſtitioſe creditur, & à quibuſdam cum experimento obſervatum memini, aſt cum damno puellæ maximo, illa etenim ſucceſſu temporis exaruit, mortique holocauſto oblata eſt. Ratio ſi qua dari poteſt, occulta ea eſt, & è ſecretis ſecretioris Philoſophiæ petenda. Fortean ſumma antipathia inter ignem calidum & inter menſtruum ſanguinem frigidum in cauſa eſt. Salmandra enim ſerpens frigidiſſimæ naturæ in igne vivit, &potens eſt contra incendia, adeò ejus inter omnia venenoſa vis maxima eſt: vivit mediis flammis ſine conſumptione pariter & dolore, nec aduſtionem ab igne recipit, ſed ipſum incendium mitigat & extinguit, ut dicit *Iſidorus lib.* 12. *Bartolus, Anglicus de proprietat. rerum libr.* 18. *de angue. Plinius libro* 10. *cap.* 47. huic, inquit, tantus eſt frigiditatis rigor, ut ignem extinguat ſicut glacies; & nota hic ſingulare myſterium mythologicum, quod ſerpens primus ſexum fœmineum ſuo veneno infecerit, & diabolus ſuam intetea ſuperſtitionem in hominibus augendo confirmandoque quærirat, in reprobum ducit ſenſum, ut nec miſeræ puellæ miſereantur, ſed ignem morte ipſius extinguant, more antiquorum, qui ob aliquam ſimilitudinem victimas aliquando mactabant,

ctabant, ut equum Soli ob celeritatem, ut est apud *Ovid. libr.* 1. *Fastor.*

Placat equo Perses radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Sic Cereri aliquando porca offerebatur ac cædebatur, quod esset id animal inventis ipsius Deæ infestum, ut ait idem Ovid.

Prima Ceres avidæ gavisa est sanguine porcæ,
Vlta suas merita cæde nocentis opes.

Sic Bacchus, quia caper infestum sit animal suis inventis, ejus cæde lætari creditus est, ut ait Virgilius libr. 2. Georgicorum.

Non aliam ob causam Baccho caper omnibus aris
Cæditur ——

Vnde deductam illam superstitionem puto, cum menstruus sanguis quodammodo stigefaciat & languidum reddat corpus virginis, ita & ignem ejusque calorem, non vi propria sed harmonica & cælesti extinguit & sopit. Et vel orta est hæc superstitio ab antiquis, quod cum ereptum ignem mortalibus rursus in terram detulerit Prometheus, de quo Horat. in 1. Carm.

Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit
Post ignem ætherea domo
Subductum, &c.

& fæ-

& fœminam scilicet omnium humanarum calamitarum originem & sceleſtum omnino animalis genus invenerit, ut autor eſt *Menander* ſuaviſſimus poeta, ut ſic eodem invento ipſius fœmina videlicet furtum ejus nimirum ignis ereptus extingueretur & deleretur. Mythologica hæc.

Cap. LII.

An honeſta virgo pro defenſione attentatæ pudicitiæ violentum ſtupratorem licitè occidat?

TRadunt *gl. & Doctores ad l. ut vim atque injuriam 3. adverſ. nam jure. ff. de juſt. & jur.* etiam ob tutelam rerum ſuarum permiſſam eſſe defenſionem & occiſionem dummodò cum moderamine, *l. 1. C. unde vi. l. 4. §. cum igitur ff. de vi & vi armat.* Si illud in rebus terrenis & ſoli, quur non magè in ſummo illo bono Virginitatis tutandæ & conſervandæ, utpote quæ Paradiſum replet, & ſola poteſt animas præſentare Deo, & eſt principium aliarum virtutum, *gl. in c. cauſam, in fin in verb. privilegio. De prob.* procedat? accedit, quod minus bonum eſt contemnendum propter conſervationem majoris boni, ſicut ad conſervationem vitæ aliquis projicit merces in mari, ſed virtus

castitatis est majus bonum, quàm membrum corporale. Ergo cum quis licitè sibi potest amputare virilia propter conservationem castitatis, multò magis alterum ad tutandam virginitatem interficere potest, & *S. Hieronymus in c. non est nostrum 23. quæst. 5.* dicit. Unde & in persecutionibus non licet mihi propria manu perire absque eo ubi castitas periclitatur. Sed ponitur ibi secundum quosdam Dictio *absque* inclusive sicut ibi: pulchræ sunt genæ tuæ absque eo quod intrinsecus latet, sic & dictio *usque* etiam inclusive ponitur 13. *quæst. 2. c. Ebron.* Astipulatur quo ad se non posse occidere, *Graff. decis. cas. consc. pag. 2. libr. 3. cap. 29. num. 57. Actius de infirmit. Rubric. 49. n. 43.*

Cap. LIII.

Num virgo ob furtum sit suspendenda?

COnstitutio illa Imperatores qua fures ob quinque solidos furcis addicuntur, nullum sexus discrimen facit: verum consuetudo quæ pro lege non immerito observatur *l. de quibus. ff. de ll.* non ita strictè cum virginibus agit, sed vel alia eas coercet pœna, puta relegationis vel gladii, in quibusdam tamen locis etiam suspenduntur, aut

ast inferius colligatis vestimentis ut vidi in aliquibus locis.

Cap. LIV.

Legatum virgini num corruptæ debeatur & præstetur?

Hic sane distinguendum puto. Num intuitu virginitatis, num verò affectione quam erga eam habuit legator propter consanguinitatem, affinitatem vel amorem factum, sit legatum. Priori casu legatum non præstari cessante conditione legati, posteriori deberi duco argumento §. *Siquidem* 29. §. 30. §. 31. *Institionibus*, *de legat.* Hinc non probo quod Baldus in casu: Si maritus leget uxori si vitam servaverit viduam, at quingentos casu, si nupserit, determinat, quod erunt propria ipsius uxoris transeuntis ad secunda vota, *in leg.* 1. C. *de secund. nupt.* motus ratione, quia ita dicendo maritus videatur licentiare uxorem de maritando se & transeundo ad secunda vota, quo casu licentia mariti faciat cessare pœnas transeuntium ad secunda vota. Mihi nulla eo legato licentia data videtur, sed potius prohibitio, nam non est casus insolitus mulieres ad secunda transire vota, ut si prohiberetur, licentia sive memoria potius delinquendi

daretur, qualem putabat Socrates cum de parricidio pœnam nullam ſtatuiſſet, dicens ſe non cogitaſſe tales inveniri homines. Quia autem mulieres ſemel ſubmiſſæ virili jugo incontinentiores ſunt multò virginibus: puto potius eſſe prohibitionem ex alternativo illo legato: Mille ſi non ſecundo nubat. Quingentos ſi nubat. In primo continetur prohibitio, in altero eſt conceſſio.

CAP. XV.

Num ſi virgo damnatum quempiam ad mortem petat in maritum, liberet ipſum à morte?

IDolim *Veſtalibus* erat conceſſum, ut ſcribit *Alex. ab Alexandro lib. 5. Gen. dier. cap. 12.* Tantæ enim dignationis fuere; quod ſi dum foras vadunt, ad capitale quiſquam ſupplicium traheretur, ſi obviam fieret, ipſum tunc mortem oppetere, aut noviſſimo exemplo affici non decebat. Et hodie *S.R.E. Cardinalib.* conceſſum eſt, ſi dum ad ſupplicium ducitur damnatus, Cardinalis obviaret & poneret capellum ſuum ſuper ejus caput, pœna omninò ei remittitur, ita *Cæpoll. in caut. 2. in prin. M. Anton. blanc. pract. crim. caut. 1. n. 2. Paul. Caſtrenſ. in l. addictos. C. de Epiſc. aud. Parn de Puteo in tract.*

Syn-

Syndic. in verb. pœna. vers. an si primo. ubi dicit idem esse in filio regis, qui si obviat condemnato ad mortem, potest eum à morte liberare, quod tamen respectu filij regis reliquit sub dubio, rationibus per eum adductis, id tradunt *Doctores ad d. l. addictos. Iul. Clarus* 1. *sent.* §. *ult. quæ.* 98. *n.* 5. quo ad Cardinales eam rationem reddit. Quod Cardinales æquiparantur regibus, & in iis ferè residet tota majestas reipubl. Christianæ. Quo ad punctum nostrum. *Refert Papo* 24. *Arresto* 10. *artic.* 14. exemplum, idque in Hispania usitatum addit: quorum consuetudo fortè derivata ex *can. inter opera caritatis* 20 *ext. de spons. add l.* 27. C. *ad l. Iul. de adult. & Chas. in consuet. Burgund.* §. 2. *in verb. S'il n' a grace notat* se nullam hujus rei rationem afferre posse, nisi fortè quis censeat, matrimonio injecto majorem pœnam indici quàm si mors esset indicta. Semel memini factum Marpurgi in provincia nostra Hassia.

Cap. LVI.

Num mulier post partum virgo dicenda siet?

ORtum dedit Terent. in Hecyr. act. 3. sc. 3. ibi. Nam vitium est oblatum virgini olim ab nescio, quo improbo. Sciendum est hoc: Apud majores indistin-

ctè Virgo dicebatur & Mulier. Hinc Clinia adolescens apud Terent. in Heaut. de Antiphililina virgine solicitus: *Sed vereor* inquit *ne me absente hæc mulier corrupta sit.* Et Virgilius libro 11. Æneid. de Camilla virgine:

Advenit quæ vestra dies mulieribus armis
Verba redargueret.

Sic in Bucolicis:

Ah virgo infelix, quæ te dementia cepit.

Cum tamen constet Pasiphaen de qua Poëta loquitur, ex Minoe ante nivei amorem tauri filios suscepisse. Verùm propriè id haud fit, sed vel habito respectu & regressu ad tempus, quo virgo fuit, vel ad tempus futurum quo virgo definit esse. Vel ob suspicionem & dubium quo nescitur num mulier an virgo sit, alias mulieris appellatione etiam virgo continetur, *l.* 13. *ff. de verbor. significat.* Illud igitur Terentij. *Nam vitium oblatum est virgini*, refertur ad tempus præteritum, olim videlicet quando virgo erat, & oblatum dicitur quasi non expectatum & nolenti virgini, quasi quæ falli posset. Alterum, *sed vereor ne me absente hæc mulier corrupta sit*, refertur ad suspicionem & dubitationem ubi Clinia propter dubium & suspicionem Virginem haud nominare audet. Illud Virgilii de Camilla refertur ad tempus futurum,

quo

quo ipsa Camilla etiamsi virgo defierit esse, nihilominus per sua arma celebris & nota erit futuris seculis. Alterum: *Ah virgo infelix*, refertur ad tempus præteritum, quo virgo fuit, cum objiciat ipsi dementiam prioris temporis qua capta fuit. Propriè igitur mulier post partum virgo haud dicenda erit, excepta B. Maria, quæ secundum communissimam omnium Theologorum sententiam ante partum & in partu & post partum sancta & immaculata virgo permansit.

CAP. LVII.

An virgo nolens nubere gaudeat privilegiis nuptarum?

BAldus *in l. Imperialis. Cod. de nupt. tenet*, quod sic, verba l. sunt. Sed etsi tales mulieres post divinum rescriptum ad preces earum datum ad matrimonium venire distulerint, salvam eis nihilominus æstimationem servari præcipimus, &c. *gl. ibid. ad verb.* Distulerint. Idem & si nunquam venerint, sic *& l. si repetendi, C. de condit. ob caus.* sic ergo latè extenditur concessio. sic *l. si. ff. de consl. pr. & l. quidam consulebat. ff. de re judic. & l. si quando. De bonis vacant.* Prædictam autem interpretationem licet

facere, etiamsi juraverit contrarium. Vnde sequitur. Auth, quod eis, &c. *Bertach. in repertor. in l. M. verb. mulier. num. 42. & in lit. V. verb. Virgo n. 7.* Virginitas enim replet paradisum, & sola potest animas præsentare Deo, & est principium aliarum virtutum, *gl. in c. causam in fin. in verb. Privilegio. de probat. & ibi Panorm. in 2 col. in fin. in vers. ult. gl. quærit per Felin. in dict cap. causam.*

CAP. LVIII.

An virgo per vim stuprata Deo possit consecrari?

STuprum voluntarium punitur in utroque i. e. in mare & in fœmina. Violentum verò non in patiente, *text. in leg. 20. tit. 9. C. 9. ad leg. Iul. de adult.* usque adeo ut per vim stuprata nullam patiatur infamiam, nec de adulterio nec de stupro accusari possit text: & Doctores ibid. licet ipsa fine præfinitione temporis stupratorem persequi possit *l. mariti in fin. ff. eod.* Et adeò inviolatæ existimationis est, ut nec nuptiis illius aliis interdicatur, text. ibid. in fin. & virginitatem retinere censeatur *cap. propositæ 32. quæst. 2.* licet non possit in monasterium recipi, & ut virgo Deo consecrari, cap. Iuvenculas & ibi *Canonist. 26. quæst. 1.* quia non agitur de peccato

peccato sed de sacramento, nisi recipiatur hujusmodi vitiata cum distinctione aliqua, omittendo aliquid ex signis virginitatis, ut *Thom. 4. sent. dist. 38. quæst. 1. Elbertus Leoninus in proces. criminal. ad leg. 2. Cod. Ad. l. Iul. de adult. Summa Raimundi libr. 3. cap. 2. & ibi. Guilielm. Rhodonens. in annot.*

CAP. LIX.

Vtrum si starent simul duæ puellæ, honestum sit dicere: Illa est casta?

RESP. Quod non, quia exclusive altera pungitur & detegitur non casta. *Rebuff. in can. omnis utriusque sexus in ultimo notabili in 7. fallentia. Vincent. Caroc. de revelat. confess. quæst. 39.* Limito ego, si ambæ duæ sint notæ, tunc enim videtur una excludi, secus si una fiet incognita, tunc in dubio de nota & ejus castitate videtur loquens sentire.

CAP. LX.

Num mutatio vocis in puella arguat virginitatis amissionem?

ARistotel. *libro 7. De animal.* Incipientibus, inquit, Venerem vox transit in sonum virilem, abstinentibus verò è cõ-

trario. Ratio videtur esse quia ætatis mutatio, quæ in masculo regulariter fit per septenarium, in fœmina per senarium, ut *Clemens Alexandrinus ex Solone notavit 6.* προμαλῶν ante quam ætatem Venus non exercetur, plerumque & vocis mutationem importet. Alia ratio: quod in coitu, qui incipientibus, & nondum expertis dulcis esse solet, eoque frequentior, arteriæ dilatentur, sicque vox sonora magis reddatur propter nimium pruritum, & intemperantiam, uti videre est in brutis animalibus, cervis & asinis, qui in coitu totam sylvam vociferatione & clamore complent. Accedit, quod vox sit nuncius cordis. Baldus in tractat. Schismatis 12. col. sicque arguit integram haud esse virginitatem: exemplo est olla, sive campanula, quæ tota & integra minorem & clariorem sonitum pulsata reddit, è contra fracta aut rima accepta obtusiorem & durriorem. Accedit quod lætitia, quæ in coitu summa est, dilatationem tum cordis tum & spirituum faciat, ut pulcrè tradit ex *Hieron. Fracastorio in libr. de Antipat. & Sympath. Vinc. Alsarius Ligur in lib. De invidia & fascino veterum, Lucæ impresso p. 25.*

CAP.

Cap. LXI.

Cum gemelli masculus & fœmella simul nascuntur, uter prior natus censeatur?

IN dubio primò masculus tanquam robustior natus præsumitur argum. *l. si fuerit* 10. *in fin. ff. de reb. dub.* ubi tradunt *Bart. Socin. & Castrens. & idem Bartol. in l. si extraneus. num.* 3. *ff. de condict. cau. dat. caus. non sec. Guido Pap. in tract. de præsumt. n.* 5. *in fin Dec. in l.* 2. *num.* 44. *ff. de R. I. Tiraq. in tract. de primog. q.* 17. *opin.* 7. *&* 8. *num.* 1. *Mascard. de probat. concl.* 1087. *num.* 1. *& ibi* plures allegati, quos refert *Gregor. Rolbag in certam masculof. acie virili c.* 13. *n.* 10.

Cap. LXII.

Num promiores in venerem ferantur virgines quam viduæ?

EVripides: ἀλλὰ θυγάτηρ κτῆμ' ἐπ' ἐργάσιμ πατρί. Verum filia laboriosa est possessio patri. Et *Muson.* A filia liberamur re difficilis & molestæ custodiæ. Maxime enim pronæ in Venerem feruntur virgines, utpote quæ magis expetant eam voluptatẽ experiri, cujus hactenus fuerunt in-

expertes, si ad eam invitentur, *Tiraquell. l. 9. connub. n. 117. & Aristot. libr. 7. animal. hist. cap. 1.* suadet puellas tum maximè custodiendas esse cum menses habere incipiunt. Est verum secundum aliquos, quod virgines magis appetunt coitum, quam conjugatæ, quia dulcius putant, quod nunquam expertæ sunt. Et tamen postea comperiunt eam voluptatem esse, sicut sunt cæteræ hujus mundi, quæ momento vix durant, cum non possit durare quantum una Ephimera vel interdictum de glande legenda, quod durat triduo, vel quantum Papa Gregorius Mediolanensis successor Cœlestini, qui duravit quindecim diebus prout hæc 4. Epist. refert *Rodofre. in rubr. ne sede vacante, col. 1.* vel quantum sponsæ mensis Maij quæ durant uno die *lit. C. de Majuma lib. 11.* ubi Iacob. Rebuff. ponit formam antiquitus observari solitam, vel quantum durat strena, quæ durat 1. die Ianuar. *gl. in auth. C. de consil. in verb. Ianuarij. Sylva Nuptial. Nevizan. lib. 2. n. 13.* Verum contrarium verius est, incontinentiores videlicet esse viduas, conjugalis istius beneficij compotes factas & adhuc memores, quam virgines, quæ dulcedinem istam nondum fuere expertæ. Hinc *& L. Apuleius in Apolog.* Non tamẽ libenter in ipso ætatis suæ flore tã diu vidua. Et ibi *Scipio Gentil. in not. n. 668*, Impatientius enim viduæ, utpote expertæ,

tæ, à conjugio abstinent, Juniores præsertim. Id quod & sacratiss. Imp. Justinianus animadvertit & censuit *in tit. C. de indicta viduitate tollenda.* addit rationem, cum enim mulieres ad hoc natura progenuerit, ut partus ederent, & maxima eis cupiditas constituta in hoc sit *l. 2. d. ti.* Unde & tempus elugendi suos maritos mulieribus præstitutum erat decem mensium propter turbationem sanguinis *l. liberorum 11. ff. de his qui not. inf.* ex quibus patet incontinentiores semper habitas fuisse viduas virginibus.

Cap LXIII.

Quare virgines in quibusdam locis proniores sint ad Venerem & luxuriosiores, quam in aliis.

PTolomæus scribit propterea quosdam, quod eorum natura primo Zodiaci Trigono cognata sit, quo aries, Leo, Sagittarius, continentur, nefanda quædam committere, & abominabile, tamen omnino nihil se designate putare, ut qui signis subjecti sint ab antica parte masculis, à postica fæmineis. Verùm contra Ptolomæum disputat Glycas, annal. part. 2. injustus sic esset Deus, qui Sodoma per ignem in cineres redegit. At fieri nequit unquam, ut justus ille sit injustus. Alia igitur ratio quærenda erit.

Luxus

Luxus causa erit: nam is ejusmodi flagitia gignere consuevit. Idcirco Moses Israëlitis præcepit. *Vbi comederis ac biberis, caveto ne fortè Domini Dei obliviscaris.* Etiam præstantissimus ille Medicorum Galenus voluptatem ac delicias ostendit esse præposteræ illius Veneris, & proclivitatis ad eam causam, quum ait. *In Mysia nostra, quæ Pergamo finitima est, rarò quis fœminam adulterii facinore se obstringentem reperiat, & rarius etiam protervos homines, qui dediti sint iis amoribus, quorum ne nomen quidem aperiendum est.* At Romæ propter abundantiam deliciarum, quæ istic minimè sunt insolentes, proclive est hujusmodi patrare. Unde exclamat Marsi. quod defecerunt ætates, & illud quod ante scribere soliti sunt autores *in leg. si infante, in pr. de jure deliberandi.* circa vitia & defectus in quidecimo anno, faciunt nunc infantes in quinto, unde ludere ad taxillos & alios ludos prohibitos, & decipiunt ludentes secum. *Idem in leg. si quis re C. eod.* quales sunt illi, quos Lombardia, Normandia & Roma generat *gl. in l. sequitur. in verb. Animum. ff. de usuc. Vantius de nullit. sent. ex defect. mand. num 6.* Sic *urbe tot in Veneta scortorum millia cur sunt?* Causa est copia & abundantia deliciarum. Verè enim Venetiæ à *Iasone in l. si insula. ff. de V. O.* Paradysus deliciarum appellantur. Hinc Germani, quibus omnium mater non

ita

ita delicias suppeditat, quum & frigidiori sub cœlo habitent, nec ita delicatè vivunt, frigidi & segnes in Venerem feruntur. Cum reliquæ gentes Itali, Galli, Hispani, Turcæ, belluino quodam modo furentes in Venerem proruant. Ejusmodi igitur homines Sodomitæ in saturitate panum quemadmodum litteræ sacræ loquuntur, salaciter luxuriando, non quod tali, vel tali trigono subjecti essent, ad concubitus nefandos devoluti & ab igne sint absumti. Luxus igitur & delicata vita in causa est. Ubi enim omnium rerum abundantia, ibi lætitia gaudiumque omnia replent, timor fugit, sicque omnia in pejus ruunt. Luxuriant enim animi rebus plerumque secundis. Id quod & in diversis Germaniæ nostræ partibus cernere licet: quo enim terra fertilior est, eò homines nequiores.

Cap. LXIV.

De variis virginum in variis Italiæ locis, dotibus, & vitiis externis.

Collegit subsequentia Nathan Chytræus in delitiis variorum itinerum, præcipuæ Italicæ nationis.

Senenses pulchræ.

Florentinæ delicatæ.

Perusinæ

Perusinæ elegantes.
Cajetanæ formosæ.
Cosentinæ obstinatæ.
Beneventanæ rusticæ.
Bononienses arrogantiusculæ.
Mutinenses benignæ.
Cesenates rapaces.
Genuenses salaces.
Placentinæ difficiles.
Mediolanenses urbanæ.
Pedemontæ procaces.
Veronenses gratiosæ.
Prixienses diligentes.
Formianæ speciosæ.
Lucenses castæ.
Pistorienses faciles.
Romanæ graves.
Papuanæ superbæ.
Neapolitanæ sollicitæ.
Brundisinæ inertes.
Ferrarienses avidæ.
Ravennates humanæ.
Vrbinates affabiles.
Vicentinæ constantes.
Parmenses avaræ.
Papienses lucri cupidæ,
Laudenses superstitiosæ.
Cremonenses sumtuosæ.
Tervisanæ zelotypæ.
Bergomates astutæ.

Artinæ

Aretinæ tenaces,
Puteolanæ bellæ.
Venetæ petulantes.
Cremenſes fallaces.

CAP. XLV.

Virgo nupta quo tempore ſponſa dicenda?

SPonſorum appellatione non ſolum eos venire inter quos brevi nuptiæ futuræ ſint, ſed etiam eos quorum nuptiæ recens fuerint celebratæ, docet omnino communis uſus loquendi. *Ripa verò in tract. de nocturn. temp. c.* 33. eos ſponſos appellat quorum non futuræ ſint nuptiæ ſed celebratæ, ſed recens. Addit ex Canonibus ſacris *in cap ſponſus & ſponſa diſtinct.* 23. ubi ſunt hæc verba: Sponſus & ſponſa cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipſius benedictionis in virginitate permaneant; declarando tamen ut ibidē declarat *gloſ. in verb. Virginitate.* ut ſcilicet illud ſit de conſilio non autem de præcepto ex Johan. *Nevizz. in ſua ſylva. libr.* 4. *in verbo. Eſt nubendum, num.* 79. *verſ. & communiter*, qui ſcripſit cavere omnino debere ſponſum, qualem ſe prima nocte ſponſæ ſuæ ſignificet, an ſimplicem & bonum hominem, an callidum & prudentem virum, talem enim ſæpius conſuevit mulier

lier virum habere in posterum, qualem prima nocte sibi persuaserit.

Cap. LXVI.

Num Iohannes Evangelista fuerit sponsus in nuptiis illis in Cana Galilæa, Iohan. 2. c.

ARbitrati sunt quidam Johannem Apostolum & Evangelistam fuisse sponsum illum de nuptiis specialiter vocatum à Domino; sed nullam habet probabilitatem, quamvis id plures habeat auctores, tenet *Cantipratanus lib. 2. c. 29. §. 3.* testatur id expresse libellus in Gallica lingua editus, cui tit. *La vie de Iesus Christ. pag. mihi 3.* cujus apertam refutationem vide in *Ioh. Molan. l. 4. de pict. c. 20. & Cæsare Baronio 1. Annal. Eccles. ad annum Christi 31.* Multis imposuit hac in re præfatio Augustin. tit. tract. in Joh. Tanti est cognovisse veros librorum auctores. Colvener. in not. ad Cantipr. Verùm cum textus non nominet sponsum, nec nostrum augurari erit. Nec credibile est Christum ideo comparuisse ut avocaret eum à statu conjugali, sed potius contrarium, ut confirmaret & benediceret sua præsentia sanctum illum statum, utpote qui in Paradyso à Deo ipsomet institutus erat, quod patet ex eo, quod primum suum

ium miraculum ibi fecerit, aquam in vinum ptimũ vertendo. Canitur alias in festo S. Joannis Evangelistæ & est formula precandi n oratorio Lateranenſi S. Johannis Evangeliſtæ Romæ.

Verſ. *Valde honorandus eſt beatus Iohannes.*
Reſp. *Cui Chriſtus in cruce matrem virginem virgini commendavit.*

CAP. LXVII.

Cur in lege antiqua virginitas non commendabatur?

QUæri poteſt cur in antiquo populo Dei non commendabatur integritas virginalis, & nunc poſt adventum Chriſti deſerta eremi virginitatis liliis decorantur. Una ratio propagatio fuit humani generis & maximè populi Dei. Secunda quia rudis ille populus ad litteram maledictionem ſterilitatis metuebat, *Exod.* 23. Unde filia Iephte virginem ſe morituram expavit, & à patre deflendi virginitatem ſuam tempus tantum trium menſium poſtulavit, *Iud.* 11. Beatiſſima verò Maria ſuper quam requievit Spiritus ſapientiæ & intellectus, virginitatem Deo prima omnium vovit, & ſterilem à fructu bonorum operum, legis maledictione plecten-

plectendam ostendit. In cujus rei figur Christus postea ficui non habenti fructus maledixit & aruit *Matth.* 21. sed & Discipulus planè dixit: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, & excidetur, & in ignem mittetur.*

CAP. LXVIII.

Virginitas cur lilio comparetur?

ET beata quidem virginitas lilio comparatur, tum propter candorem niveum, tum quia ex sex foliis repandis constat, ut cordi primo deinde quinque sensibus corporis ab omni contagio illibatissimè caveatur. Et bene folia ista reponda dicuntur, quod prominens & apertum significat: quia licet omnis gloria filiæ regis ab intus quantum ad exigentiam exigatur: tamen quia Dominus in Evangelio jubet, ut opera nostra ad exemplum luceant proximorum, necesse est ut compositio forinseca sensuum ad commendationem virgineæ dignitatis ordinatissimè famuletur, *Cantipr. libr. 2. mirac. c. 29. §. 4.*

CAP.

CAP. LXIX.

Quæ causa, quod virgo primitias arboris decerpens, fructus ejus arboris fissura notet?

NUm quod virgines quodammodo imputæ & immundæ censentur ob menstruum illum fluxum, qui segetibus, frumentis, herbisque noxius est? Num quod Eva in damnum omnium nostrum fructus de vetito ligno in Paradyso contra prohibitionem Domini decerpserit? quod puto verius & ad hodiernum usque diem admoneamur transgressionis illius, & reatus in quo per culpam Evæ sumus. Unde & virgines ad primitias rosarum decerpendas juvenes adolescentes invitare solere scio, ut in posterum ne fissuris nascantur. Hieroglyphicum quid sapé. Contrarium tamen tenebat D. de caro de prægnante, quod illa admittenda sit ad decerpendas primitias frugum, ratione mythologica, ut fiet fæcunda instar arboris juxta Psalm. *Erunt filii tui instar ramorum olivæ*, &c.

CAP.

Cap. LXX.

Quare pulices puellis, virginibus; imo sexui fœmineo inimici magis sint quam juvenibus adolescentibus.

NUm quod pellibus & tegminibus ovinis pleræque sint circumdatæ in quibus latibula quæritant suæ? Num quod puellæ & fœminæ majora venandi pulicum ocia habeant, quum vestes gerant inferne apertas, cum contra Juvenibus semper calligæ sint solvendæ? Num quod tenera magis & leviora habent corpora virgines quæ plena cruore lacerare magis possunt, quam Juvenes? Num pœnæ loco, ut infirmitas earum ex eo conspiciatur quod parvus pulex tam amara lues sit & inimica puellis? a quod & Ovidius videtur alludere in suo carmine Pulex:

Parve pulex & amara lues inimica puellis.

Num quod virgines semper habeant in guina humida, sicque non longe absint pulices à fonte, id quod & prædicto in carmine Ovidius innuit:

Ausus es interdum per membra libidinis ire

quod & secutus facetus Poëta Seb. Sherrus lib. 2. epigr. p. 107.

Acri

Acrius exagitat pulicum muliebria cœtus
Corpora, securos & sinit ire viros.
Scilicet hi tribuunt escam tantummodo, potum
Illa simul vivo tradere fonte solent.

CAP. LXXI.

Quare deteriorem odorem puellæ virgines de se spargant quam juvenes adolescentes?

DE Domitore illo mundi Alexandro M. scriptores referunt, corpus ipsius à natura odorem Moscheum vel instar nucis myristicæ sparsisse, ut & vestimenta ejus odore plena astantibus nares impleverint. Id quod mirandum naturæ miraculum In mirando mundi Domitore æstimandum est. Deterioris autem odoris puellarum ratio est impuritas sanguinis, quæ ex defectu & imbecillitate istius sexus oritur, accedit venenosum illud menstruum quo vexantur, quo laborantes etiam solo halitu specula inficere, maculas illis inurere; teneros fascinare oculos dicuntur, cujus quidem rei aniculæ non paucæ fidem faciunt, quarum impuritate multi pueri effascinati gravissimum discrimen adeunt, sæpe etiam acerbam subeunt mortem, pecudes partu & lactu privantur, equi macrescunt & emoriuntur segetes

segetes sine fructu metuntur, arbores arescunt, ac denique omnia pessum ire videntur, perfectior autem & fortior, ut est natura sexus masculini, eò majori & meliori etiam odoris sacrificio naturæ sacrificat, hinc *Bernh. super Cantic. sermone 71.* Odor bonus Testimonium bonum. Hinc & Dæmonibus præter lumina & nidores Cæsarum victimarum cantus etiam & odores grati sunt. Iccirco Medea utpote venefica sacrorum rituum peritissima cum ventis sacrificaret *apud Apollonium Rhodium, libr. 4.*

— *procul illa è montibus altis*
Deduxere feram sylvestrem quo illa cupivit.

Et Homer- libr. 1. Iliad. pro depellenda pestilentia nidores victimarum Apollini etiam obtulit in his:

Si vult caprarum, si vult nidoribus ille
Obvius agnorum fieri ac depellere pestem.

Hinc Dæmones sexum fœmineum magis aggrediuntur, eique majores struunt insidias ex odore malo ad malum proniorem & decliviorem ducentes.

CAP.

Cap. LXXII.

Quare melius possint currere virgines quam juvenes?

NVm quod natura sexus hujus imbecillitati in aliquo gratificari voluerit, sicque celeriori donarit cursu, quo facilius fugam eripere, sibique consulere & se conservare possit? Num quod impedimenti nihil habeant, sicut Amazones, quæ mamillas abscidêre, ut agiliores essent ad pugnam, quarum & una Procella à velocitate sic dicta fuit? De Atalanta etiam refertur, quod corporibus, viribus & celeritate pedum, non solum fœminas, sed etiam homines anteierit. Natal. Comes Mytholog. libr. 7. cap. 8. Memoratur de eadem quod victa fuerit ab Hippomene cursu, dum malis tribus Hesperidum colligendis retardata fuisset, quam rem sic testatur Arabius.

Ἔδνα γάμων ἵππιος, ἢ ἀμοιβαῖον ταχύτητος,
Τῆτο γέρας κύρη χρύσεον ἱππομάχης,
Ἄμφω μῆλον ἄειρεν, ἐπεὶ καὶ παρθένον ὄχμης
Εἶχεν, ὁ ζυγίης, σύμβολον ὠκυπόδων,

Num dotem magnâ, an tardandi præmia cursus
Aurea ab Hippomene mala puella capit?

Malum utrumque fuit, tardavit namque puellam
A cursu, & nodos nexuit in Veneris.

Nam fuit multorum antiquorum mos uti nuptias virtute comparandas præstantium mulierum proponerent. Sic Antæus Rex Libyæ filiam Alceim, vel ut alii maluerunt Barcen, victori cursus proposuit. Sic Danaus filias. Sic Pisander Camirensis sorores, ut ait Pherecydes. Sic Hippodamiam propositam ferunt. At quod in templo magnæ matris moræ impatiens, nulla habita Deæ reverentia cum Hippomene victore concubuit, Hippomenes in Leonem, ipsa in Leænam conversa est.

Cap. LXXIII.

Quare clarior vox virginum puellarum, quam juvenum?

CUm sermo manifestet animi qualitatem, *l. is qui. §. Divus. ff. de tut. & curat. dat. ab his.* Item vox est nuncius cordis, *Bald. in tract. Schism. 12. col.* Clarior illa vox Virginum & sexus imbecillitatem & fragilitatem & animi inconstantiam denotat, item subjectionem arguit. In juvenibus adolescentibus contra dura & aspera vox, & cor durum mageque constans arguit, itemque imperium in fœminas. *Unde Arist. 1. Pol.* Silentium

tium mulieri præstat ornamentum, & homines sonis, ut æra tinnitu dignoscimus. *Quint. li.* 11. item, pro signo sunt interioris hominis verba erumpentia, minoribus enim majora monstrantur: vultu enim & oculis dissimulari non potest conscientia. *Hieron. sup.* 12. *Proph. lib.* 2.

CAP. LXXIV.

Quibus coloribus, quò ad vestimenta uti debeant virgines?

SI in uno aliquo omnipotentia & magnificentia Dei prælucet, certè ac maximè in diversis coloribus elucet, stellæ rubescunt, Sol & Luna clarescunt, herbæ virescunt, rosæ variis coloribus distinctæ sunt, unus tamen color alii præstat. Prius autem quam ad condecentiam perveniamus, colores principales speciatim recensebimus. Est color albus, niger, ruber, flavus, croceus, viridis. Mixti, citrinus, purpureus, violaceus, subviridis, subcitrinus, glaucus, spadiceus, &c. Qui autem, mage exornat virginis habitum, & qualis, dubitari posset. Num ruber? Non, quia denotat tyrannidem, & effusionem sanguinis. Sic Tamerlanes quando urbem obsidione cingebat, primò castra & tentoria alba metabatur, gratiam pollicens

& promittens, altera die rubra ostendebat, tyrannidem in effusione sanguinis minans. Tum quia & ignis istius coloris est, omnia consumens. Vnde & ruber iste color in Iride mundum igne periturum denotat secundum Chaldæos: meminit & Imp. Iustin. rubri coloris *in inst. §. interdum furti tenetur. ibi qui panno rubro fugavit armentum. De oblig. que ex delict. Tauri pannum rubrum ferre non possunt*, hinc Ovid. lib. 12. Metam.

Haud secus exarsit quam circo Taurus aperto
Cum sua terribili petit irritamina cornu
Phœniceas vestes.

Num flavus? Non, quia proditorius censetur color, fortean quia citius deficit, aut quia auri color est, cujus gratia nihil non perpetratur juxta illud. *Auri sacra fames quid non mortalia cogis pectora?* hinc & prodit or Iudas flavo pallio depingitur. Et Iudæi in plerisq; civitatibus, ubi certis signis notati incedere tenentur, flavi coloris circulo uti coguntur. Sic Francofurti ad Mœnum. In Italia Patavij, Antenoris & Romæ flavis pileis. In terris sereniſſimi Dominij Venetiarum deferunt birerum crocei vel lutei coloris, ut ab omnibus dignoscantur, quod introductum est in eorum ignominiam & opprobrium, ut ab eis sit cavendum, Marquardus de Susannis. de Iudæis, pag. 1. c. 4. n. 3. Item Monetarij flavis pellijs

de

de consuetudine incedere tenentur, ut attigi in comment. *ad tit. de dignitatib. Cod. lib.* 11. *l. neque ad Dominum Iohannem Bleymollerum Variscum.* Moriones, itemque Æthiopes, apud nos flavo vestiuntur colore, utpote contemtibili & despecto. Unde & insignia eorum qui facinus aliquod perpetrarunt, hocce cōlore in dedecus & infamiam perpetuam notantur. Num purpureus? Non. quia denotat superbiam, eo enim solummodo Imp. antiqui utebantur, *l. purpuræ. & tot. tit. C. de vestib. olober. & aurat. & de intinctione sacri muricis. lib.* 11. Num niger? Non, quia triste notat, hinc inferi eorumque habiracula nigra dicuntur, *noctes atque dies patet atri Ianua Ditis*, hinc & lugentes nigro incedunt vestitu. Et Manichæi tenebras ob nigredinem, à malo principio creatas arbitrabantur. Hinc & prænominatus Tamerlanes tertio die nigra Tentoria ostendebat, internecionem usque ad unum minando, nulli parcendo. Num glaucus? Videtur quod sic, quia cælicus hic color est, quotidie nos admonens cælica & superna quærere. Unde & constantiam veteribus denotabat, quando Germanos cæsiis sive glaucis oculis laudabant. Num spadiceus? videtur quod sic, quia non ita luxuriat, sed commixtus est, sicque aliquo modo gratus censetur. Num viridis? Maximè: quia jucundissimum

mum anni tempus eo cingitur & ornatur, omnes herbæ medicamina morborum, gramina & pascua campi nutrimenta pecorum, hocce insigniuntur. Num albus? Optime, Maxime: Simplex enim iste color, puriusq; simplicitatem & puritatem, candoremque animi significat: hinc & Angelorum proprius *Matth.* 25. Ex quibus liquet viridem, & album colorem maximè condecere virgines. Alba etiam veste ornari solebant, qui candorem animi & hilaritatem præ se ferebant, ut in conviviis. *Cic. in Vatinium.* Cum ipse Q. Arrhius epuli Dominus albatus esset. Hodie quoque apud Italos virgines desponsatæ, quas vulgus vocat *Fiancées*, albis tunicis uti solent, ad duritatem quandam & integrum pudorem ostentandum. *Bayfius de re vestiaria. cap. 9. de lanarum & vestium coloribus.*

Cap. LXXV.

Qui crines exorent Virgines?

Quamvis omnes colores mirabilem Dei omnipotentiam repræsentent, cum tamen & sua habeant naturalia principia, semper aliqui habiti sunt in honore, alii verò in despectu. In virginibus autem, utpote

pote quæ longam alere tenentur comam, eaque plus æquo superbiunt, quis placet? Ruber num? Non, quia præterquam quod malum ac perversum denotat animum, superabundantiam menstrui arguit sanguinis. Num Niger? videtur eum probare Salomon Ecclesiast. in Canticis suis, quo benivolum selego Lectorem. Etenim matronæ & spectatæ pudicitiæ mulieres nigro capillo, & longe lateque fusa toga, ad talos demissa, stolaque & flammeo ac vittis & reticulo, quo capita velarent, utebantur. Cum meretrices flavum capillum haberent *Alexand. ad Alexandro Gen. dier. lib. 5. cap.* 18. Hodiernis moribus maxime probantur & laudantur flavi crines, coloribus aureis, flavis, albis, &c. tingendi & mutandi crines formulas tradit *Weckerus in libr. 5. c. 6. de secret.*

CAP. LXXVI.

Virgines comæ primitias olim cum matrimonium iniissent, deabus consecrabant.

SCribit Julius Pollux libr. & cap. 3. Virgines quum matrimonium iniissent, comæ primitias Deabus suis consecrasse. Author est Pausanias libro 2. quod Trazenæ puellæ ante nuptias detonsam comam templo illatam Hippolyto dedica-

bant. Idem Pausanias in Corinthiacis tradit, in Syconia esse ὑγείας, hoc est, sanitatis simulacrum, quod haud facile confici potest, quum undecunq; comis, quas mulieres Deæ illi detonsis obtulere, veletur. Erat autem devotæ deditionis & servitutis hoc signum. Servis enim olim comam & barbam nutrire vetitum erat. Unde legimus apud *Aristophan.* δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις; i.e. Servus quum sis, comam nutris? aliam etiam ob causam antiquitus radebant barbam & Diis offerebant, ut scilicet seipsos mundi & purificati dedicarent. Hac ratione sacerdotes Ægyptios totum corpus rasisse & depilasse testatur *Herodotus in 2. quod item ex Diodoro Siculo libr. 2. c. 4.* elicitur. Qui mos & Hebræis frequens fuit, ut habetur in *Levit. c. 14. Baruch 6.* In aliquibus item Ecclesiis, præsertim Syriæ & Ægypti tam virgo, quam vidua, quæ se Deo vovissent & seculum calcassent, (inquit Hieronymus epist. 48.) crinem monasteriorum matribus offerunt desecandum non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessuræ capite, sed ligato pariter & velato, nec id quidem, ut Vestales imitentur Romanorum virgines, quæ incisos sibi capillos ad arborem loton suspendebant, sed aliis ex causis, quas Hieronymus recitat. Imo & propter mysterium: cum enim in signum subjectionis dati sint illis capilli Christo jam despon-

desponsatæ, in libertatem vendicatæ, nequicquam amplius viris debent. Nec de his dicit Apostol. 1 *Cor.* 11. *Mulier, si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine dati sunt illi*, de illis enim, quæ viro non sunt obligatæ, Paulus loquitur. Porrò, si turpe est mulieri tonderi vel decalvari, velet caput suum. Sacro jam velamine illarum, cum caput obducatur, capillis quibus tegantur, non indigent, & cum nec capillorum cultu viris placere cupiant, quæ Christo tantum morum probitate studeant esse gratæ, eo dispendio pulcritudinis cœlesti sponso magis redduntur acceptæ. *Cæsar. Baron. in thes. antiq. Eccles. tom.* 1. *c.* 269.

CAP. LXXVII.

Quare non ita multum bibant virgines, ut juvenes masculi?

NUm quod non ita sunt calidæ naturæ ficut masculi? Num quod imbecillioris sint naturæ? Num quod non ita sunt assuetæ? verius, consuetudo etenim eas à conviviis arcet, nam & apud Romanos bibere vinum illis prohibitum erat *ex l.* 12. *Tab.* Unde & Ignatius, quod uxorem quod vinum bibisset, baculo ante dolium interfeciſſet, absolutus legitur. hinc & oscula ori-

ginem sumserunt, ut ita sentirent num vinum redolerent.

Cap. LXXVIII.

Num ex longo & acuto naso præsumenda siet virgo iracunda?

PRæsumtio hæcce communiter recepta est, secundum physionomicos. Nasus enim longus & aliquantulum subtilis significat hominem audacem, curiosum, in factis iracundum, vanum, citò convertibilem: ad utrunque debilem & ex facili credentem. Cujus nasus fuerit valdè acutus in puncta, & mediocris inter longum & curtum, grossum & subtilem, significat hominem citò irascibilem, valdè sui sensus, facilè rixosum & dedignosum, sagacem, debilem, malitiosum, seductorem, minacem & memorem. Cujus nasus fuerit nimis longus & in puncta plus subtilis quam grossus, & convenienter rotundus; significat hominem in loquendo audacem, in agendis probum, facile injuriosum, fallacem, invidum, tenacem, in fide secretum, cupidum alieni, & multis modis latenter malitiosum, ut recenset excellentissimus rerum naturalium perscrutator *Michael Scot. in Physionomia ad Fridericum Rom. Imp. c. 64. de Naso.* Sed quæ causa istius præsumtionis?

tionis? Num quia ubivis locorum impingant, ex quo ita facile iraſcantur? Fortean & pudor in cauſa eſt: defectus enim ſive exceſſus naturæ ſemper invidiam & iram excitat, ut pulchre deducit *Vincentius Alſarius Ligur. in lib. de invid. & faſcino Veter.* Fortean, quia acutiorem & perfectiorem olfactum habent, & ſic quemvis aërē facilius & citius ad ſe recipiunt, ex quo & citius & facilius ad iram commoventur & bilem, ſicut de canibus referunt naturæ perſcrutatores quod olfactu cæteris animantibus præſtent: hinc & mage iracundi in reliqua feruntur animalia.

CAP. LXXIX.

Quo ingreſſu condeceat virgines incedere?

QUum multum augurii quoad qualitates animi ex moribus externis ſumatur, maximè ſubjicit ingreſſus. Paſſus pedum enim eundo ſi fiant tardi & ampli, ſignificant hominem habentem malam memoriam, groſſi ingenii, turbidi intellectus, tenacem, pauci laboris & non facilè credentem omnia. Cujus paſſus eundo fiunt veloces & curti, ſignificant hominem velocem, in agendis cito imaginantem, vicem teneræ capacitatis. Cujus paſſus fiunt ampli & diſcordanter viam rectam non tenentes, ſignifi-

cant hominem simplicem & grossi nutrimenti, ac sagacem in malo, ut patet de vulpe. *Michaël. Scotus in Physionomia. cap.* 97. Ast virgines quis mage condecet? Num celer? non, ne videantur mobiles & leves luxuriosæque, si celeri planta plateas terant. Num tardus? Non, ne videantur ineptæ & segnes ad regimen domesticum. Moderatus igitur probatur moderatum denotans animum, ad bona quævis pronum. Pudicè igitur incedant puellæ virgines. Nullus enim ita cautè unquam se gessit, quin carperetur à malitia; nec virgo ita pudicè vitam instituit, quin vel ex oculi nictu vel vestigio per viam imprudentius facto à libidinoso adolescente in suspicionem violati pudoris venerit. Cum Tullia Ciceronis filia concitatius incederet quàm deceret fœminam, contra Piso gener lentius quam deceret virum, ambos eodem dicto taxavit Cicero, filiæ præsente genero dicens: *Ambula ut vir.*

Cap. LXXX.

Quare luxus & ornatus convenientior virginibus quàm adolescentibus?

QUum naturâ imperfectior sit sexus fœmineus, minoresque ei animi dotes concessæ, externis sese extollere & exor-

exornare gestit, cum fibulis ac baltheis auratis gemmatisque incedit, qui luxus virginibus congruentior quam adolescentibus. *Forma* etenim *viros neglecta decet*, ut canit Ovid. *& vino vendibili non opus est suspensa hædera.* Ut igitur facilius emptorem inveniant puellæ, comam exornare, faciem fucare, mollibus & expolitis incedere vestimentis, quo invenes adolescentes alliciant, illisque retibus capiant, summa illis cura est. E contrario juvenis molliter incedens, & deliciosè vitam colens, magnoperè improbatur, ut refert, *Herodianus libr. 5. de suis temporibus de Imp. Macrino*, quo benivolum sfelego Lectorem. Comparantur igitur ejusmodi excultæ puellæ Templis Ægyptiorum', quæ extra splendido ornatu fulgent, interius autem nisi simia vel felis invenitur.

CAP. LXXXI.

Num ornatus ad occultandam morbi turpitudinem, virginibus permissus?

ORnatus mulierem licet sæpe reputetur illicitus, ut per Summistas in verbo ornatus: tamen ubi fit ad occultandam turpitudinem ex morbo provenientem, non improbatur ex D. *Thom. 2.2. q. 169. art. ult. in fi.* aliud enim est fingere pulchritudinem

nem non habitam, & aliud occultare turpitudinem ex accidenti aliquo provenientem, ut ex morbo, hoc enim licitè fit, ut per *Thabienam post D. Thom. citatum in verb. Ornatus, col. ult. Actius de infirm. lit. O. in fin.*

CAP LXXXII.

Quare amantes palleſcant?

QUamvis amor utrumque afficiat ſexum, fœmineum tamen ardentius urit. Palloris autem cauſa in amoroſis eſt, quia præ amoris magnitudine æſtuantis dilatati cordis ſpiritus evaporant, propter quorum nutrimentum & reſtaurationem natura calorem ab exterioribus ad interiora revocat, & ſic ſuperficiem cutis per ſubtractionem calidi ſanguinis diſcolorat, juxta illud:

Palleat omnis amans, color hic eſt aptus amanti.

Bartol. Anglicus de propriet. rer. libr. 19. de colorib. c. 12. de pallido colore.

CAP.

CAP. LXXXIII.

Num virgo ad sanitatis conservationem, actum conjugalem admittere debeat?

NOn posse absque veniali peccato dixit *Turr. Crem. in cap. quicquid vers. quinto potest.* 32 *q.* 2. coitus autem cum non conjuge penitus est illicitus etiam ad vitandam mortem ex commun. *Viv. decis.* 323. *nu.* 18. *lib.* 2. ubi laudat Ludovicum Francorum regem, qui mori maluit quàm ita se à morbo liberare. Ratio est, quia quamvis intendere sanitatis conservationem non sit per se malum, tamen intentio mala efficitur, cum ex aliquo sanitas intenditur, quod non est ad sanitatem principaliter ordinatum, sicut si ex sacramento baptismi sola corporalis salus quæreretur, ut *dicit Cardin. à Tur. Cren. in loc. cit. Actius de infirm.* 44. *nu.* 29. *usque ad n.* 33. *exclusive refert. Filgos. in l. fin. ultra fin. ff. de pignor. act.* fuisse episcopum servantem castitatem, cui affines & medicus suaserunt coitum, ut liberaretur ab ægritudine, & ita sequutum est: cumque fleret & consolaretur ab affinibus, credentibus eum hoc facere ex pœnitentia delicti, respondit, se non flere peccatum sed quod citius non inceperat.

CAP.

Cap. LXXXIV.

Num virgo, ut propriam ſanitatem recuperet, poſſit ſine peccato, medico id petenti ſui corporis copiam facere?

ET non poſſe colligit ex Epiſcopo *Benzono de fuga lib. 1. p. 100. verſic. tertia concluſio. Actius de infirmit. rubr. 49. num. 42. in verbo judicis*, nam graviſſime peccant Medici carnalem copulam vel ſimplicem pollutionem conſulentes, & eis obedientes à mortali non excuſantur. *Summa Toleti in præc. 6. c. 13. & 14. De peccato contra naturam.*

Cap. LXXXV.

An pro ſanitate poſſit virgo Deo polliceri itev vel peregrinationem ad S. Iacob.

INnoc. *in pr. c. Scripturæ. ext. de voto* dicit non obligari, imo etiam verificata conditione putat rectorem loci, cui facta eſt promiſſio oblationis, non poſſe agere ex ea uti illicita, quia Simoniacum dicit eſſe intendere à Deo, vel Sanctis emere ſanitatem, *capite Studeat. 1. quæſt. 1.* Verùm pro contraria ſententia contra Innocentium multæ rationes adducuntur ab *Abbat. in d. cap. ſcripturæ, num. 5.*

ubi

ubi post, Hostiens. dicit. Votum valere, nec esse Simoniacum, quia omnia sunt Dei, & sic non datur proprium pro sanitate. Ergo cessat Simonia, quæ sine expresso pacto non committitur, & cum Deo nullum pactum intervenit, sed solum pollicitatio, & si mentalis attendatur, vix est homo (*dicit Abbas, & ante eum Archidiac. in cap. scimus. circa fin.* 12. *quæst.* 1.) qui pro Deo aliquid faciat, & non speret remunerationem, quam ipse promittit secundum opera se redditurum, *Matthæi* 25 ideo ne tota Christianitas, quæ in hisce similibusque votis versatur, simoniaca sit, hæc ultima opinio tenenda est, cum *Abb. ubi supr. ubi Apostill. dat concordantes Ant. Arch. Io. de Ling. & Host. & dicit Archid.* Theologi communiter hanc opinionem sequi. *Vid. Thom. Act. de infirm. Rubr.* 45 *per tot.*

Cap. LXXXVI.

De planctu virginitatis filiæ Iephtah.

Historia est in libro *Iudicum. c.* 11. ubi Iephtah victoria contra filios Ammom potitus, vovit Domino, quod ex domo ejus sibi occurreret, quando cum pace à filijs Ammon rediret, in holocaustū. Redeunti Iephtah, occurrit filia unica cū tympanis, &c. quæ percepto voto patris petijt 2. menses

menſes ad plangendam ſuam virginitatem. Qualis hîc planctus fuerit, quæritur? Num quod virgo & innocens ex voto patris mori teneretur? Videtur id textus innuere quando dicit: *Et virum ignorabat.* An autem vere immolarit pater ipſam, dubitatur. Quidam volunt non immolaſſe eam, ſed cultui divino dicaſſe: verum textus aliter arguit, primò, quia planxerit ſuam virginitatem, & pater regreſſæ à montibus fecit illi ſicut voverat. Item: Et erat conſuetudo in Iſrael, ut filiæ ſingulis annis exirent plangendũ filiæ Iephtah. per. 4. dies. Tum etiam videtur in judicibus & regibus, quod poſt magnas res geſtas etiam magnam perpetrarunt ſtultitiam ad evitandam nimiam ſuperbiam. In eadem ſententia eſt *Glycas Annal. part.* 2. C. unde mos imponendi. &c, & dicit: Deum alios monere volentem, ut non abſque conſideratione vota conciperent, jugulationem hanc non impediviſſe, nam expendere ſecum ipſe prius debuerat Iephtah, fieri fortaſſis poſſe ut vel canis vel aſinus, vel aliquid aliud immundum ex indicatione legis, animal ipſi primũ occurreret. Sed priori opinioni aſſentitur *Albertus M. de mulicre forti cap. Res.* 20. §. 1. lit. B. ubi dicit filias naturæ, quæ animum & voluntatẽ ad propagationem naturæ ponunt, hoc arbitrantes optimum, jucundari ſcilicet in filijs, & marito ſignificari per filiam Iephtah quæ duobus

duobus mensibus suam virginitatem flevit in montibus, eo quod semen super terram non relinqueret. Andreas Osiander in dicto capit. putat Jephtah, distinctive voviſſe, ut quicquid primò egrederetur domo ipsius, aut servitio cultus divini deputaretur, aut, si idoneam sacrificii materiam præberet, immolaretur. Sciebat enim Jephtah ex lege, quod etiam inter animalia non omnia ritè possent possent Domino sacrificari; multo igitur minus hominem immolare voluisse videtur. D. Chytræus super hunc locum: Sentiunt, inquit, aliqui Jephtam non interfeciſſe filiam, sed cœlibem Deo consecrasse, ut virgo sine marito & liberis seorsim ab aliorũ hominum & æqualium consortio recluſa vitam finiret. Circumiens enim filia Jephtæ in montibus, non amiſſionem vitæ seu mortem suam, sed virginitatem perpetuam, quod absq; marito & liberis victura esset, deplorat, sicut Hannam matrem Samuelis sterilitatẽ suam, quod nullos Dei cultores procrearet, amaris lachrimis deflevisse legimus. Nec in historia dicitur Jephta filiam in holocaustum mactasse, sed tantum feciſſe ei sicut voverat, scilicet ut virum non cognosceret, sed perpetuam virginitatẽ servaret. Sunt enim voti *Jephtah* 2. membra in contextu Hebræo: *Quod egressum fuerit de foribus domus meæ, erit Domini, & offeram illud holocaustum.* Quo loco conjunctionem non copula-

copulativam, sed disjunctivam esse, (ut in dicto, *qui percusserit patrem & matrem* pro *aut matrem) morte morietur*, ostendunt quod dixisset Jephtah, aut immolabitur domino holocaustum, si ejus generis erit, ut immolari possit (homines autem mactare minimè licebat) aut si non offerri licebit, erit alioquin Deo consecratum. Et consentaneum est Jephtah de hac difficili causa scisciatum fuisse Sacerdotes Domini, qui ipsi nequaquam autores filiæ immolandæ esse potuerunt. Denique talem virum cujus pietatem ac fidem Epist. ad Hebræos honorificè celebrat, & quem Spiritus Domini rexisse scribitur, tàm tetro & abominando filiæ parricidio se polluisse, verisimile nequaquam est.

CAP. LXXXVII.

De voto virginitatis apud Dardanios.

CAssandræ Templum in Italia fuisse juxta Salpem paludem & oppidum Dardanium appellatum autor est Lycophron. In hoc si accolarum quæpiam virgo, parentum, ut fit interdum Virginitatis amore, nuptialibus renuntians votis, sive ob oris deformitatem, aut aliud hujusmodi quippiam sibi traditum, perosa virum confugisset,

fugisset, sui posthac erat juris, & inde illam abstrahi invitam pro summo scelere habebatur, quæ postmodum detonsis crinibus, & pullas induta tunicas, faciemque coloribus quibusdam delinita, quò turpior videretur, per omnem ætatem virgo perseveranter manebat. *Nicol. Leonicus de var. histor. lib. 3. cap. 43.*

CAP. LXXXVIII.

Num raptus virginum in choreis à filiis Benjamin posit excusari. Jud. 21.

VIdetur textus excusare ex eo: Non enim rapuerunt eas jure bellantium atque victorum, sed rogantibus ut acciperent non dedistis, & à vestra parte peccatum est. Verùm non omnia quæ referuntur, etiam excusantur, cum sæpissime loquatur Scriptura non secundum rei veritatem, sed secundum existimationem illius qui aliquid facit, ut de Razia loquitur 2. *Macch.* 14. Qui seipsum interfecit, & tamen Scriptura ex hoc videtur eum excusare, quia ibi dicitur: *Eligens potius nobiliter mori quam subditus fieri peccatoribus*, ut & in aliis exemplis de Samsone *Heb.* 11. Samuele 2. *Reg.* 28. Sic & hic raptus non excusatur à sacra Scriptura, sed ex consilio filiorum Israël, ut habet

textus,

textus, cœperuntque consilium, &c. *Numeri* verò 31. Dominus jubet cunctos interficere, quicquid est generis masculini, etiam in parvulis, & mulieres quæ noverunt viros in coïtu, jugulare. Puellas autem & virgines fœminas omnes reservare, quarum fuere numero captæ 32000.

Cap. LXXXIX.

Quare puellæ virgines in via præcedant matres, filii vero adolescentes sequantur patres?

COmmunis ratio datur, quod matres certæ sint & certiores de suitate liberorum quam patres, *l. 5. ff. de in jus voc. Dec. in l. imperium. de jurisd.* cum pater incertur sit, & juris præsumtione, *l. filium de his qui sui vel alien.* non vera & certa probatione ostendatur, *l. Lucius Titius de condit. & demonstrat.* Hinc Telemachus apud Homerum Minervæ quærenti an Ulyssis sit filius, respondit: Mater me quidem ex illo natum dicit, attamen ego nescio: nondum enim aliquis suum ipse novit genitorem, *Odyss. libr.* 1. hinc & vulgo quæsiti literis *S. P.* quasi sine patre notabantur, ex quibus deinde propter initium congruens *Spurii* dicti sunt, & mulieri prægnantem se asserenti creditur, ut

tradunt

tradunt Dd. *ad reg. jur. si quis prægnant.* 187. *ff. de Reg. jur. & notat Angel. in l. illud per gl. ibi si pars hæred. pet.* & creditur matri dicenti suum filium legitimum, *not. in l. fin. ff. de probat*, cum secundum Ictum *in l. si miles §. defunct. ff. ad l. Iul. de adult.* mater possit esse adultera, & nihilominus filium legitimum habere ex marito. Et mater est certior patre *instit. de succes. cogn. §. vulgo*, quod verum secundum *Bartol. in d. l.* 4. nisi in his qui exponuntur ad hospitale, cum eorum etiam mater sit incerta sicut & pater. Secunda ratio potest esse quod majori cura observent magisque diligant matres liberos suos quam patres, quippe cum matribus dictum sit, *Cum dolore natos paries*, plus enim filius in procuratione à matre quam à patre accipit, nec aliter spe ma hominis quam fides ad cytharam, h. e. quam instrumentum ad materiam esse existimat. *Galenus ut refert. Soc. in cons.* 1 *col.* 1. *vers. cum ergo vol.* 1. *Ioan. de Lignano in libell. do amicitia q. Quis magis diligat? fol.* 12. *col.* 3. *Ant. Vac. in l.* 3. *fin. ff. de his qui sui quos refert Arius Pinell. in rub. C. de bon. mat. p.* 2. *n.* 12. *in fin & sequitur Petrus Gothofr. in Dial. de amoribus l.* 8. *c.* 8. *Gregor. Rolbag. in certam. masculo-fœm. cap.* 3. *n.* 14. 15. 16. 17. Tertia ratio potest esse, quod magis diligant matres filias quam filios propter sexus sui similitudinem. Quarta ratio est cum major castitas requiratur in sexu

fœmi-

fœmineo quàm masculino *l. si qua illustr. Cod. ad Sctm. Orfitian.* majori etiam cura custodiendæ erunt filiæ. Unde & Muson. A filia liberamur, re difficilis & molestæ custodiæ: & Euripides: ἀλλὰ θυγατὴρ κτῆμ' ἐσιν ἐργῶδες πατρί. Verum filia laboriosa est possessio patri. Quinta ratio esse potest, quod gravitas quædam in comitatu consideratur: gravius autem hodiernis moribus est in eundo satellitum cohortem à tergo alere, quam ante se præmittere. Antiquitus autem & nostri Germani principes & domini præequitabant, servis à tergo sequentibus: verum cum Imp. Albertus propè Moguntiam ex perfidia & instinctu à suis servis trucidaretur, mos in contrarium versus est, ut servi præequitent, Domini verò subsequantur.

CAP. XC.

Quare primum præponatur & distribuatur in in mensa cibus virginibus puellis?

HOcce moris est vbivis gentium, ut in mensa & in conviviis primitiæ ciborum virginibus à præcisoribus offerantur. Quare? Num quia antiqui sationem frugum inventionemque omnium leguminum Cereri tribuêre? *Natal. comes in Mytholog. lib. 5. c. 14. de Cerere.* Num quia Vesta à Jove

Jove virginitatem perpetuam & primitas omnium quæ Diis offerentur ab hominibus popoſcerit? *idem lib. 2. c. 1. de Iove.* Num quod in eo habeatur ratio gloriæ virginitatis, quæ ſemper apud omnes gentes magni æſtimata fuit? Num quod habitus fuerit reſpectus ad appetitum illum muliebrem qui inſatiabilis penè eſt, moræque impatiens?

CAP. XCI.

Cur Magi præſtigiis ſuis virgines & pueros caſtoſque adhibeant?

MAgni ſanè, ut ſimpliciores ſub prætextu pietatis & caſtitatis magis decipiant, volunt quod Spiritus & Dæmones propter ſimilitudinem maximè diligant virgines pueros & caſtos. Similitudo enim dilectionis eſt cauſa, ipſi namque non coëunt, quia nullus Dæmon ſuapte natura mas eſt vel fœmina. Unde inquit Galeotus Mart. de doctrina promiſcua cap. 10. Quum Deos placare intendimus, caſtitatem ſervamus ſecundum illud:

Hac caſti maneant in relligione nepotes.

Quod etiam tetigiſſe Poëta videtur, ait enim,

Et ſpiſſa noctis ſe condidit umbris,

Apparent diræ facies inimicaque Trojæ
Numina magna Deûm.

Nam Venere præsente (ea namque Deorum & spirituum visionem prohibet) nihil viderat. Sic nonnulli Magiam imitantes, quum furem in Phiala aquæ vel speculo apparentem noscere exoptant, virgunculas aut infantulos impollutos eligunt, ut ea simulacra conspiciant, quæ impollutos minimè vident. Hisce magicis ineptiis olim Didium *Julianum Cæsarem* delectatum fuisse tradit *Ælius Spartianus in ejus vita*. Fuit, inquit, in Juliano hæc amentia, ut per Magos pleraq; faceret, quibus putaret vel odium populi deliniri, vel militum arma compesci. Nam & quasdam non convenientes Romanis sacris hostias immolaverunt, & carmina profana incantaverunt, & ea quæ ad speculum dicunt fieri, in quo pueri præligatis oculis incantando vertice respicere dicuntur, Julianus fecit, tumque puer vidisse dicitur & adventum Severi, & Juliani decessionem, &c.

CAP.

Cap. XCII.

Quid significetur per illam picturam qua unicornu in sinu virginis requiescens pingitur?

IN libro 4. de natur. rer. habetur quod in deserto, in quo unicornu illud ferocissimum animal in morte hominum grassatur atque ferarum, puella virgo relinquitur. Unicornu adveniens omni ferocitate deposita, casti corporis pudicitiam in virgine veneratur, & reclinans caput in sinu virginis soporatur. Virgo manibus apprehenso flexibilem reddit & animis moderatum, ita quod quandoque capitur & occiditur, vel ad spectaculum exhibetur. Cantipr. libr. 2. mirac. c. 29. §. 32. Isid. lib. 12. Bart. Anglicus de propr. rer. lib. 18. De Rinocer. Natal. Comes lib. 4. de venat.

Virginis amplexum cupiit fera bellua (nam sic
Fama refert) somnumque capit placidamque quietem.
Virginis in gremio optatæ somnoque solutæ
Funibus invenit sese vinclisque ligatum.
Seu natura dedit secreti semina amoris
Virginis, atque feræ atrox innata cupido.
Sive alia est ratio: tamen hac adducitur arte, &c.

Hinc frequenter ejus captura in templis depicta cernitur. Sed quid per eam picturam hieroglyphici intelligi volunt? Christum eo significatum accipiunt, qui unicæ potestatis est, quia non est potestas, quæ comparatur ei, & potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur. Sed illa pulcherrima Maria, virgo stirpis Davidicæ, in deserto mundi à filio Dei, mediante angelo paranympho, inventa est, cujus pulchritudinem virtutum & sapientiam, & pudicitiam casti corporis veneratus illectus est, & in sinu uteri virginalis caput altissimæ suæ divinitatis humiliter inclinavit, in quo novem mensibus foporatus, in tantum à sua ferocitate deflexus est & animo moderatus, ut se capi permitteret & occidi manibus Iudæorum. Indeque resurgens & ascendens in cœlum ante conspectum paterni vultus & civium supernorum in gloriam solemnis victoriæ, qua contra dæmones triumphavit, admirabile voluit spectaculum exhiberi: nisi enim templum Mariæ repertum esset purissimum, Deus in terris non conspectus, nec cum hominibus versatus fuisset. *Glycas annal. part. 1. C. diei Sexti* creata; *ad quod & alludit Albertus M. in libr. de mulieres forti c. Coph. 19. §. 1. lit. FFF.* ubi Rhinoceroti id tribuit, quod capiatur in gremio virginis, quia prima veritas descendit in uterum virginis.

CAP.

Cap. XCIII.

Quid significetur per 10. virgines, partim sapientes, partim fatuas. Matth. 25.

COmparat Christus regnum cælorum Decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam Sponso. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes, sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non sumserunt oleum secum, prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus, & veniente Sponso fatuæ sapientibus dixere. *Date nobis de oleo vestro quia lampades nostræ extinguuntur.* Respondent prudentes, *ne forte non sufficiat nobis & vobis*, &c. Per Lampades Lutherus ibi sine oleo intelligit bona opera absque fide, ea extinguuntur: vas olei autem est fides in conscientia in gratiam, quæ facit bona opera quæ consistunt. Ut autem hic oleum nulla alteri communicat, sic quilibet sua fide vivet. Potius per Lampades intelligerem fidem, utpote quæ incomprehensibilis est, sicut ignis: hinc Christus: *Luceat lux vestra coram hominibus ut videant bona opera vestra*, per oleum utpote tangibile & perceptibile bona opera: ut enim oleum penetrat & conservat

lampades, sic bona opera fidem concomitantur. Hæc Theologica Theologis relinquo. *Albert. M. de muliere forti C. Res §. 1. lit. D. & E.* exponit, per virgines sapientes filias gratiæ significari, quæ & castitatem habent in corde, & corpore & habitu & sancta intentione & in humilitate Christo serviunt, habentes ducem & vexilliferam gloriosam Dei genitricem, & filium ejus agnum immaculatum. Per virgines fatuas significari filias legis, quæ timore & vana intentione non Deo, sed laudi serviunt, timentes vituperari ab hominibus, si votum castitatis quod voverunt, irritum facerent.

CAP. XCIV.

Quid per perpetuam virginitatem Minervæ antiqui fabulosè significare voluerint?

DEa *Minerva* semper virgo fuisse creditur: hinc Homerus in hymno in Venerem de virginitate ejus:

——*Minervæ*
Aurea non illi Veneris sunt munera cordi:
Prælia sed placuere, feri sed munera Martis.

Et dicta illa fuit ab Ægyptiis sibi perpetuam virginitatem indixisse, quia præstiterit temperantiam. Hæc semper virgo existimata est, quoniam voluptates omnes gravissimæ sunt sapien-

sapientiæ adversariæ, ac Venus præcipue, quæ memoriam, bonitatemque ingenii maximè debilitat. Et Minerva quæ puriſſima est pars Ætheris, è qua nulla nascuntur animalia, cum perpetuam obtinuerit virginitatem, Vulcanum amore sui captum repellit, qui semen in terram effundit, ac inde monstrum nascitur, ut fabulantur antiqui de Vulcano. Quid hoc est portenti? Natura illa ætheris superioris ad inferiora usque corpora ita pura non descendit, sed calor ille qui generationem adjuvat, impurus est, & in materia crassa commistus, quare semen Vulcani in terram decidens multiplicia gignit animalia, quæ res per variam Erichtonii formam indicatur, turbulentus enim ignis & in materia commistus ubique Vulcanus est intelligendus, qui aptus est rerum generationi.

CAP. XCV.

Quid per perpetuam Dianæ virginitatem antiqui significare voluerint?

FIngitur *Diana* ab antiquis quod mares omnes aversata fuerit, quia viderat quæ passa erat mater cum obstetricata est, impetravit ergo à patre Jove ut perpetuam virginitatem servare posset, ut apparet ex his *Callimachi carminibus.*

Δὸς μοι παρθενίην αἰῶνα ἀπήμονα φυλάξαι.
Da mihi perpetuo ut sim virgo, da pater alme.
Homer. in hym. in Venerem.

Dianæ haud potuit mentem pervincere amore
Alma Venus.

Cum virginitatem perpetuam servare, viis ac portubus præesse, à tot Nymphis sociis observari impetrasset à Jove, in sylvis perpetuò fere degebat, ut marium consuetudinem devitaret, quare & venatrix dicta est, & nemorum atque montium custos existimata, ut ait *Horat. lib. 3. carm.*

Montium custos nemorumque virgo.
Quæ laborantes utero puellas,
Ter vocata audis adimisque leto
Diva triformis.

Præfecta fuit præterea parturientibus, ut intelligeret quantum malorum cumulum devitasset cum virginitatem expetivit, ut licet ex his Callimachi versibus intelligere, ubi se nunquam in urbem adituram dicit, nisi cum à parturientibus vocabitur.

Vrbes accedam solum ac sub tecta virorum
Pressa dolore gravi nisi cum me fœmina partus
Auxilio arcesset.

Multiplex denique officium fuit Dianæ, quippe cum virgines pertæsæ jam virginitatis, ut ejus Deæ, cujus hactenus in tutula fuissent, iram devitarent, consueverint in canistris

stris sacrificia ad Deæ templum deportare, ejus numinis veniam postulantes, quod à Græcis χαριφορεῖν dicebatur, neque eos canistros nisi illæ ferebant quæ ad nubilem ætatem perveniissent: de qua consuetudine meminit Theocritus in Pharmaceutria. Denique cum ita uterus excreviſſet gravidis puellis, ut sueta zona uti amplius non possent, eam zonam mos fuit in templo Dianæ λυσιζώνῃ cognomento zonam solventis scilicet quod fuit apud Athenienses, deponere, quare postea dictum est zonam solvere, pro eo quod est gravidam fieri, quod patet ex his carminibus Apollonii lib. 1.

Prima soluta mihi est postremaque zona, quod ipsa
Invidit multos natos Lucina miſellæ.

Mos fuit apud Plateenses, antequam nuptias celebrarent, Dianam cognomenti Eucliam placare sacrificijs, quod cum esset virgo, putaretur habere odio matrimonia, de qua consuetudine meminit Plutarchus in Aristide. Sed hæc fabulosa de Diana. Sensa verò explicantur: Virginem dixere, quod Veneris usus obsit plurimum hujusmodi hominibus, cum illorum natura venationibus, aliisque exercitationibus naturalem calorem adjuvantibus maximè conservetur ac vigeat.

Cap. XCVI.

Quid per perpetuam virginitatem Vestæ antiqui indicare voluerint?

Ferunt antiqui Poëtæ, Jovem Vestæ proposuisse, per quam adeptus erat imperium, ut quod mallet eligeret: at hanc prius virginitatem popoſciſſe, deinde primitias omnium quæ Diis offerentur ab hominibus; *Aristocritus lib. 2. Aristophanes in Vesti.* Sed quid per Vestam intellexere veteres? Hocce. Duæ creditæ ab antiquis Vestæ, per antiquiorem, Saturni matrem terram, at per juniorem, ignem purum ætheris significarunt: ut testatur Ovid. lib. 6. Fast.

Vesta eadem est & terra subest vigil, ignis utrique:
Significant sedem terra focusque suam.

Cum igitur æternus sit ignis æthereus, jure optimo æterna fuit vocata Vesta, ut est apud Horat. lib. 3. carmin.

Ovid. lib. 6. Fast. flammam ipsam Vestam fuisse appellatam sensit, ut patet in his:

Nec tu aliud Vestam quam vivam intellige flammam,
Nataque de flamma corpora nulla vides.

Divinus Plato de Jove in Phædro.

Magnum

Magnus sane dux in cœlo Iuppiter, volucrem impellens currum primus incedit omnia coordinans atque curans. Hunc sequitur Deorum ac Dæmonum exercitus in duodecim partes distributus: ac Vesta sola in atrio Deorum permanet: hucusque. Quis verò magnus est ille Deus Jupiter, nisi quem Solem appellamus? Is siquidem velocissimum currum impellit, & dum convolvitur, sequitur illum stellarum exercitus, quæ Dii credebantur, in 12. partes signiferi circuli distributarum. Vesta autem sive terræ moles in atrio harum stellarum & in medio mundi immota consistit. Dicitur Juppiter datus fuisse Vestæ educandus, quoniam cum animalia & plantæ ex terra procreentur, tum crebrior elementorum mutatio fit circa terram, circa quam existunt vapores, à quibus putavit Thales, quod ætherea regia aleretur. Hanc Vestam Deam fuisse ignem, vel ab initio Romæ præcipua religione cultam argumento sunt illa, quæ ad Vestalium perpetuam virginitatem pertinebant. Cum igitur terra sola ex omnibus naturalibus corporibus immobilis existens in medio totius orbis sublimis tanquam in aëre consistit, neque in aliquam mundi partem declinat; quare Ovid. lib. 6. Fast.

Terra pilæ similis nullo fulcimine nixa
Aëre subjecto tam grave pendet onus.

Ipsa volubilitas libratum sustinet orbem,
Quique premat partes angulus omnis abest.

Hinc merito propter immobilitatem suam credita fuit ab antiquis perpetua virgo, utpote qua virginitate hocce in mundo sublimius quid haud esse potest, in ea enim vivimus nos glorioſe, ut etiam *Bald. dicit in cap. causam de probat. num.* 17. Hinc & vestalium virginum ordo apud Romanos perpetuam virginitatem colendo, perpetuum ignem servabat & custodiebat, eo ipso puritatem & gloriam virgininatis ostentando: hinc malum omen extinctio istius ignis credebatur. Imo in tanto honore habebantur propter votum perpetuæ virginitatis Vestales, ut damnatũ ad mortem, si fortuito obvenissent, casu liberarent. *Alex. ab Alexand.* 5. *Gen.* 12.

CAP. XCVII.

Quid per virgines illas statuas Pantheon illud Romæ sustinentes architecti significare voluerint?

CElebres sunt apud Architectos columnæ: *Dorica*, *Ionica*, *Corinthia* & *Compoſita*: ut autem in virgine laudatur forma gracilis, hinc Terentius *in Eunuch. act.* 2. *scen.* 3. Si quæ est habitior paulo pugilem esse ajunt, deducunt cibum, reddunt cura-

curatura junceas, &c. Ita in masculo probatur Quadrata. Ad puritatem Deorum, quos cunctos Pantheon illud complectebatur, significandam, architecti virgines, quæ illud ædificium suffulciendo sustinerent, supposuisse, dubio procul ad puritatem cordis, quæ in cultu Deorum requiritur maximè, respicientes, & vocabantur Caryatides. Sed notum est ex Vitruvio, unde primum Caryatidum usus in ædificia transierit. Caria, inquit, civitas Peloponnesi cum Persis hostibus contra Græciam consensit. Postea Græci per victoriam gloriosè bello liberati communi consilio Cargatibus bellum indixerunt. Itaque oppido capto, viris interfectis, civitate deleta, matronas eorum in servitutem abduxerunt, nec sunt passi stolas neque ornatus matronales deponere: uti non uno triumpho ducerentur, sed æterno servitutis exemplo gravi contumelia pressæ pœnas pendere viderentur pro civitate: ideo qui tunc Architecti fuerunt, ædificiis publicis designarunt earum imagines oneri ferundo collocatas, ut etiam posteris nota pœna peccati Caryatium memoria traderetur. Latius de iis *Ludovicus Demontiosius in libell. Gallus Romæ hospes in 2. parte. p. 2.*

CAP.

CAP. XCVIII.

De bonis nominibus puellis virginibus imponendis.

PRæsumi quemque eo magis niti, quo per nomen sibi impositum quo dammodo duci significatur, pulchrè & latè tractat illustris Iur. C. *Ioannes Ferrarius Montanus*, sanguinis fœdere mihi junctus, quem honoris causa allego, *in præexercitam. judiciorum lib. 2. c. 3.* Magnum siquidem est & pulchro & honesto nomine vocari; proinde *Ioannes Andreas in cap. gravis. de depositi.* commendat uxorem suam Constantiam quæ dicere solebat; Pulchra nomina filiis emi debere, modo alicubi venderentur, & verè. Nam & Iulianus ait: prætorem exigere, ut honesti nominis conditio impleatur, non autem ea, quæ famosæ sit & turpis nomenclaturæ *in l. facta. §. si in dando (meo judicio. §. si vero nomini) ff. ad S C tum Trebel. ubi Accurs. quoque super verbo conditio.* de suo nomine oppidò gloriatur, Accursium, videlicet, quod est honestum nomen, dicit, quia occurrit & succurrit contra tenebras juris civilis. Et pulchrum esse honesto celebrique nomine appellari abunde scribunt *Cyn. Salic. & alii in l. cunctos pop. C. de Sum. Trin. & fid. cathol.* quam & ipsam

inter

inter alias causam esse, quam ob rem P.M. solent in coronatione sua mutare nomen. *Abbas* scribit *in c. cum secund. de præbend.* Quapropter si plures sunt deprehensi, qui furti insimulentur æque suspecti, tunc de eo primum quæstio est habenda, qui turpius nomen habet, quasi ad hoc propensior ad delicta existimetur. sentit *Petrus Gerardi de petra sancta in singul. 75. ad ea* quæ tradit *Bart. in l. fin. ff. de quæst.* addo *insignem Fr. Casonum de indici. & torment. c. 13. n. 5. pag. mihi 82. Angel. in summa Anglica in verbo. Argumentatio. §. 3. per tot. attigi & ego in proœmio institut. ad vocabulum Plus.*

CAP. XCIX.

Qui fiat quod lis sit cum formâ magna pudicitia?

DIsputavit hanc quæstionem Ienæ *And. Schæfferus seqq. causis. 1. Num. 7.* quod mulieres, quæ formosiores, plerumque sint præditæ corporibus musculosis, calidis spiritibus & sanguine refertis, quæ omnia, quin Venerem provocent & extimulent, planè non est dubium. Num. 8. Tanta verò mollities est & imbecillitas sexus muliebris, ut illam naturæ pravitatem & ἀδυναμίαν

sæpe-

sæpenumero comprimere non possit aut edomare sciat. hinc Naso epist. 18.

Vt corpus teneris sic mens infirma puellis.

n. 11. pulchritudinis tanta vis est, ut omnium propè quos habet spectatores, desiderium excitet, voluntatem adjungat, amorem sibi conciliet: hinc Propert. *Formosam ratò non sibi quisque cupit.* n. 12. At verò magno cum periculo custoditur, quod multis placet, ut ait Mimus, seu ut habet Hieronymus: Difficile retinetur quod multi petunt. Bene Phocylides χαλεπὸν ἀνδρὶ ἴφι παῖδα τηρέειν. Et perquam eleganter Seneca. Fœminæ quæ malam faciem habent, sæpius pudicæ sunt: non animus illis deest, sed corruptor. *lib. 2. controv. 2.*

N. 13. præterea mulieres quibus speciem corporis eximiam natura liberaliter indulsit, ob hoc ipsum nimis superbæ sunt & insolentes, adeò quidem, ut sui ipsarum admiratione penitus obcæcatæ, nemini non se præferant, reliquas fœmellas omnes supercilioſe despiciant, nequicquam vel Deum vel homines pensi habeant. Inde Ovid.

Fastus ineſt pulchris, ſequiturque ſuperbia formam.

Et Menander in Monostichis.

Formosa mulier plena res est superbiæ.

N. 14.

N. 14. Secundas formas decent superbiæ, *ubi uber ibi tuber.* addo. *ubi Helena ibi Troia, ubi amor ibi oculus.*

C. 4. num. 19. Quin & hoc certum est, materculas ab omnibus laboribus & curis domesticis suas studiosè submovere & arcere filiolas, metuunt enim ne forte maciem contrahant, & faciei sibi pravitatem affricent, si vehementius sibi cordi rem familiarem patiantur: formam enim corporis assiduis minui laboribus & corrumpi pronunciat Philosophus *lib. 8. Polit. n. 20.* Ast homines nihil agendo male agere discunt, & amor ad illos qui perpetuò torpescunt & liquescunt ocio, nec quicquam operis moliuntur, non aliter quàm ad flammam naphta transcurrit. hinc Ovid. lib. 11. de amor. in Octav.

Quàm platanus rivo gaudet quàm populus unda,
Et quàm limosa canna palustris humo:
Tam Venus otia amat. ——
Ocia dant vitia.

Et Seneca. Vis magna mentis, blandus atque animi calor Amor est, juventa gignitur: luxu, ocio nutritur inter læta fortunæ bona.

N. 23. Ut autem amor illis qui Acheloia pocula boni consulunt, & vix atrum panem habent

habent quem ex heſterno jure famelici devorent, nihil fere moleſtiæ creat, & negotij faceſſit, ita ingluvie, luxu & temulentia velut oleo, pice, ſulphure flamma libidinis fovetur, alitur & augetur. Vinum enim, quod ait Ariſtophanes, Lac Veneris, quæ ſine Cerere & Baccho friget. Et per quam celebris eſt illa veterum combinatio quadruplex. *Petricliatur Caſtitas in deliciis, Humilitas in divitijs, Veritas in multiloquio, Probitas in negocio.*

N. 25. Accedit quod fæminæ quæ formæ luculentia comſpicuæ ſunt, litteris dent operam, & cum alia ſcriptorum genera ſcrutentur, tum etiam inter ea libellos contrectent amatorios, hiſtorias ſpurcas evolvant, laſciviora poëmata perluſtrent, quas peccatorum illecebras & occaſiones cum non vitent, & libidinum flammis ſæpenumero corripiantur & infeſtentur.

Num. 26. accedit quod plerunque ipſis contingit quod apud Terentium Chereæ, qui fatetur ſe incitatum ad ſuum illud facinus pictura Iovis, qui imbrem aureum demittens in gremium Danaës, conſimilem luſum luſerat, *act. 3. ſcen. 5.*

Verum hæ rationes & cauſæ ſubſiſtuntne omninò? 1. non videtur procedere, ſequeretur enim formoſitatem ex ſola craſſitie eſſe æſtimandam. cum & parvæ & graciliores reperian-

repetiantur formosæ. Illa in super mollities & imbecillitas communis est tam pulchris, quam deformibus. Illud N. 11. non omni modo procedit: pulchritudo enim causa non est amoris, alias sequeretur omnes teneri amore alicujus, quod non est: sed diversitas & diversum judicium amantium in causa est: sua enim cuique sponso sponsa placet, etiamsi fiet deformissima: latius de hac causa egi in *Linea Amoris*. c. de visu. N. 12. conceditur. & deformes si placent ut placent suis, difficulter custodiuntur. N. 13. Etiam superbiunt deformes, seque haud minus pulchras somniant. N. 20. commune est illud, male agi nihil agendo tam deformibus, quam pulchris.

N. 23. Luxus itidem, ingluvies, temulentia, commune quidpiam est tam deformibus quã pulchris, modò suppeditet Plutus. N. 25 pro ratione facultatum & honorum itidem commune est deformibus ac pulchris, dare operam litteris, incidere in turpes lectiones, &c. Duco igitur famam illud malum maxime in culpa esse desiderij illius quo pulchriores minus castæ laudantur. Vbi etenim præ aliis pulchrior quædam virgo invenitur, omnes de ea colloqui, plærique eam insectari, plærique ejus amicitiam adfectare, pudicitiam ejus attemptare, & posteà minime ea potiti, increpare, convitia in illam

illam conjicere, tanquam minus caſtam criminari, & neſcio quid de ea in vulgus ſpargere, hinc vulgus pulchram minus caſtam credit, litem illam pudicitiæ cum forma affirmat, ideoque ſi qua fiet pulchra, facilius in ſuſpicionem incidit.

CAP. C.

De virginum veſtitu olim.

ZOna mulieres olim induebantur. Unde ζῶναι dicuntur à Poëtis. Virgines quidem tanquam propugnaculo & tegmine pudoris utebantur, unde *ſolvere zonam* pro eo quod eſt virginitatem eripere. Porro virginibus olim ejuſmodi erat veſtium uſus quas à re ipſa φαινομηρίδας appellabant. Quales etiam nunc ſpectamus in Nympharum picturis, quibus brachia detecta fæmora quoque apparent. Ejus veſtis originem inde ductam puto, quod per initia caprinas pelles ad lumbos utrinque cinxerint ab humeris nodatos corio crurum anteriorum. *Scaliger ex Th. Zuing.*

CAP.

Cap. CI.

Vrbes perquam celebres à virginibus nomen sortitæ.

Athenæ civitas totius Græciæ clarissima, nomen ducit ab Athi Granici regis filia: quæ in præsentiarum mutato rerum cardine Cethina dicitur in perexiguum vicum redacta.

Corfica, à Corfica muliere, cujus taurus cum ex continenti Insulum tranasset, nomen quod habet retulit

Campaniæ illa urbs celeberrima Neapolis hodie quæ dicitur, primum Parthenope fuit appellata, quo nomine una Sirenum fuit, editiore in colle ad ultimum maris sinum ibi sepulta, perinde ut & ab alterius sepulchro Leucosia dicta est. Quæ sane urbs posteaquam frequentius habitari cepisset, veriti Cumani (quos ex Chalcide & Cumis ortos Phythecusas primum sedes tenuisse, dein Cumas in Italia condidisse Strabo memorat) ne patria sua desereretur, Parthenopes iterum destruendæ consilium cepere, quo facto non ita multò post immani grassante pestilentia oraculo moniti ut novam urbem instaurarent, longè splendidius eam refecerunt, & ex verbis oraculi arrepto nomine

mine Neapolim, id est, novam urbem appellarunt.

Gaieta, celeberrimus Campaniæ portus, ab Æneæ nutrice sic nominatur.

Lavinium ab ipsius Æneæ uxore Lavinia sic dicta.

Virginium est arx in Umbria, quæ est sexta Italiæ regio.

Virgium est oppidum in Liguria Transapennina, quæ est nona Italiæ regio, procul dubio ambæ à virgine nominatæ.

In Germania ad Albim est Metropolis Magdeburgum, à virgine sic dicta. Venerem namque ibi coluere antiquitus, ut etiamnum gestat insignibus virginem cum serto super Burgo.

Est & montana urbs Mariælurgum, à D. Maria nomen sortita: altera Mariæburgum in Borussia, &c. Iohannes Olorinus in Ethograph. mundi parte poster. pag. 43.

Et solent hodie urbes, oppida, castella, arces, & fortalitia, quæ nondum hostium vi oppugnata & capta fuere, adhucce virgines appellari.

CAP.

Cap. CII.

De stirpibus, plantisve à Divis vel sanctis virginibus denominatis.

Barbarea vulgo] S. Barbaræ herba à virgine sic dicta. *Tragus lib. 1. cap. 32. Lonic. lib. 5. c. 197. Ryfius in Dioscor. lib. 4. cap. 28. Fuchsius hist. c. 265. Dodonæus histor. Gall. lib. 1. c. 61. Harchius in Enchirid. pag. 253. Favardus in Gale. de stirp. lib. 8. c. 167. Historia general. p. 650. Gesn. de col. stirp. fol. 62. Thalius in Harcynia p. 811. Toxites in Onom. Philos. p. 261.*

S. Catharinæ herba] aliâs Balsamina fœmina. In Italia Balsamina altera, *Anguillara epist. 13. Lonic. lib. 5. c. 178. Dodonæus hist. Gal. lib. 2. c. 83. Ryffius lib. 3. c. 58. Herbarum imagines Egenolphi p. 178.*

S. Claræ herba] *Lobd. in Icon. & herb.*

S. Guyteriæ herba] *Clusius in hist. Hisp. lib. 2. c. 65. Histor. gener. lib. 5. c. 15. Iohan. Bauhinus.*

S. Helenæ radix] *Clusius in descr. peregr. stirp. p. 32. Catalogus Francof. p. 64. histor. general. pl. lib. 18. c. 46.*

S. Kunigundis herba] officinis Eupatorium. *Tragus lib. 1. c. 165. Matthiolus in histor. Germ. lib. 4. c. 41. Toxites in Onom. Philos. p. 219.*

p. 219. Fuchſius hiſtor. c. 101. Schwenck. in theſaur. Pharm. lib. 1. p. 10. Lonicerus lib. 5. cap. 277. Amatus in Dioſcor. lib. 4. enar. 61.

S. Mariæ arbor] Luminare majus Iacobi de Manliis ſup. Vng. de arthanita. fol. 58.

S. Mariæ calceolus] Dodonæus hiſt. Lat. Pemp. 2. libr. 1. c. 22. p. 180. Cluſius in Pannon. lib. 2. c. 32. p. 273. hiſtor. general. lib. 10. cap. 29. Geſner. de col. ſtirp. fol. 64. pag. 2. Wirſung. in judice. Winckler in chron. ſtirp. initio. Dodonæus hiſtor. frum. c. 91. Fuchſius hiſtor. c. 201. Toxites in Onom. Trog. libr. 2. c. 3. Reformat. Worm. ſect. 1. fol. 31.

S. Mariæ carduus] Toxites in Onom. Phil. p. 354. Fuchſius hiſtor. cap. 16. Reformat. Worm. ſect. 1. pag. 25. Friſchlinus in Nomenclat. cap. 32. Apollo rad. 1. ſup. El hamech. folio 106. Euchar. rius Roſlin. in herbario Germanico anni 1533. fol. 121. hiſtoriar. general. libro 14. cap. 22. Harchinus in Enchirid. ſimplic. pag. 241. Amatus in Dioſ. libro 3 enarrat. 7. Geſnerus de hortis folio 251. pagina 2. Cordus in Dioſcor. libr. 3. cap. 10. Matthiolus libr. 1. epiſt. Anguillara epiſt. 8. p. 151. Favardus in 6. Galen. de ſimpl. 11. Ioh. Agricola de med. herbarum. lib. 1. Catalogus Francof. p. 18. Lonicerus in hiſtor. lib. 5. cap. 26. Tragus libr. 2. cap. 107. Adverſaria pag. 366. Camerarius in horto p. 35.

S. Mariæ chirothecæ] Hiſtor. general. lib. 7. cap. 10. Aloyſius Mundella in exam. ſimp. Bucl.

Ruellius libr. 3. c. 37. Cornarius in Dioscor. lib. 3. c. 43.

S. Mariæ claves] *eadem herba cum S. Mariæ calceolis.*

S. Mariæ flores] *Cordus in Dioscor. libr. 1. c. 7. Catalogus Francof. p. 65. Frischlinus in Nomencl. c. 31.*

S. Mariæ fumus] *Clusius in Pannon. lib. 3. c. 34.*

S. Mariæ herba] *Luminare majus Iacobi de Manliis in Martiaco. histor. gen. lib. 5. c. 48. Dodonæus hist. Gal. libro 2. cap. 62. Fuchs. hist. c. 111. Anguillara epist. 13. Coldombergius Ruellius libr. 1. c. 32. Cordus lib. 2. c. 191. Lobel. obser. pag. 174. Cornarius in Dioscor. libr. 2. c. 147. Toxites in Onom. Phil. pag. 378. Pand. mor. c. 354. Cæsalpinus de pl. lib. 12. c. 12. Matthiol. in comment. in Dioscor. lib. 3. cap. 35. hist. gener. lib. 5. c. 50.*

S. Mariæ lac] *Dodonæus hist. Gal. lib. 1. c. 83. Cæsalp. de pl lib. 13. c. 31.*

S. Mariæ lachrymæ] *Amatus Lusitanus in Dioscor. lib. 3. c. 155. Clusius in hist. libro 2. c. 100.*

S. Mariæ lilia] *Gesnerus de hortis, pag. 247.*

S. Mariæ Linum] *Schuenck. in thesaur. Pharm. lib. 1. c. 13. Matthiolus in hist. German. lib. 4. c. 117. Dodonæus hist. Gall. libro primo, cap. 53.*

S. Mariæ manus] *Cardiaca. Lonic. lib. 5. c. 227.*

S. Mariæ Mentha] *Matth. in hiſt. Germ. lib. 5. c. 36. Eucharius in herbar. fol. 139.*

S. Mariæ pallium] *Harchius in Enchir. ſimp. p. 232. Catalogus Francof. Matthiolus in hiſt. Germ. lib. 4. c. 109. Tragus lib. 1. c. 184. Fuchſius hiſt. c. 234. Dodon hiſtor. Gal. lib. 1. c. 96.*

S. Mariæ pyra] *hiſtor. gen. lib. 3. c. 7. Geſn. de hort. fol. 282.*

S. Mariæ Roſa] *vulg. Roſa Hierichuntina. Cæſalp. de pl. lib. 2. c. 23. Lonic. lib. 5. c. 329.*

S. Mariæ Sigillum] *Monachi in Meſ. diſt. 1. cent. 11. Amatus in Dioſcor. lib. 4. c. 5. Iac. de Manlijs in Luminari majori in Triphera Saracenica fol. 6. Apollo rad. 1. in dyaſatyrio 2. fol. 33. Matthiol. in Dioſcor. lib. 4. c. 5. Cæſalp. de pl. lib. 10. c. 49. Fernelius meth. med. lib. 6. cap. 9. Hiſtor. gener. c. 5. lib. 13. Shwenckfelt. lib. 1. theſ. pharm. p. 40. Lobel. obſerv. p. 344.*

S. Mariæ ſtramen] *Winckler in chron. ſtirp. Iun. Tragus. lib. 1. c. 166. Matthiol. in hiſtor. germ. lib. 4. c. 93. Lonicerus hiſt. lib. 5. c. 323. Cornarius in Dioſcor. lib. 4. c. 81. Harchius in Enchir. ſimpl. Amatus in Dioſc. libr. 4. enar. 97.*

S. Mariæ tribulus] *vide ſupr. S. Mariæ carduus.*

S. Mar-

S. Marthæ poma venenata] *M. Funæi hiſt. Ind. accid. genus lib. 2. c. 81.*

S. Othiliæ herba] *Conſolida regalis. Toxites in onom. phil. p. 357.*

S. Virginis chlamys] *Cluſ. de pl. Hiſpan. lib. 2. c. 19.*

S. Virginis Lilia] *Geſner. de hort. Germ. p. 247.*

S. Virginis Linum] *Cluſ. in Pannon. lib. 2. c. 37. p. 130.*

S. Virginis Mentha] *Cluſ. in nomencl. Pannon.*

CAP. CIII.

De maris, fluminibus & fontibus à virginibus denominatis.

Hercynna] Scripſit Pauſanias in Boëticis Proſerpinam adhuc parvulam, ad capiendum anſerem, quem invita de manu dimiſerat, in antrum cavernoſum ingreſſam, quo anſere à lapide, ſub quo ſe occultaverat retracto, ſtatim fluvius ex eo loco emerſit, qui fuit nominatus Hercynna. *Nat. Com. in Mytholog. lib. 3. c. 16. de Proſerpina.*

Helleſpontus] Eſt Helleſpontus anguſtum mare Helles & Lyandri juvenis caſu nobilitatũ, Aſiam ab Europa ſeptem ſtadijs

tantum disterminans. Helle filia regis Atamantis Thebarum insidias novercæ cum Phryxo fratre fugiens, arietem aurei velleris conscendit, ut eo modo Colchos veheretur. Quos cum per mare ferret aries, contigit ut Helle perterrita caderet in Pontum; qui inde sumsit nomen.

Pirene] Fabulantur Poëtæ Dianam per imprudentiam venando Cenchriam Pirenes Nymphæ filium interemisse, quare cum Pirene eum lugeret, tantam vim lacrimarum profudisse, ut in fontem sui nominis sit conversa.

Cap. CIV.

De Aqua virginis Romæ.

Est Romæ inter celebres aquas in urbem ductas *Aqua virginis*. Ad ortum ejus in agro Lucullano puellæ imago ad fontem stetit, ut Frontinus testatur. Agrippa ædilis capit in via Prænestina longè à Roma milliaribus 8. & illa hodie est dicta *Fons Treio*. Restituta à Nicolao Quinto opere arcuato quadrati lapidis, per campum Martium nunc fluit, ex agro Tusculano, qui à Lucullo olim possidebatur. Ovidius libro 3. Fastorum ait, eos qui in campo exercerentur, ea sudorem & pulverem abluisse:

Nunc

Nunc ubi perfusa est oleo labente juventus,
Defossos artus virgine tingit aqua.

Plinius lib. 31. Quantum inquit virgo tactu, tantum præstat Martia hausturhanc videlicet bibenti salubrem, illam natanti & lavanti commodam significans. Virgo cæteris frigidior fuit, quod Ovid. scribit 3. de Arte. & eandem Poëticè Liquorem virgineum appellat de Ponto, & aquam Virgineam in Fastis: hæc etiam Aqua Augusta appellata fuit, ut auctor est aliquot locis Dion. Aquæ virginis ductus est ille quem vocat vulgus Ponte de Treio. Jud. antiquitates Romæ M. Andreæ Palladii, cap. 9. de aquis ductis intra Romam, & c. 11. de aquæduct. quas ex Italico in Latinum transtuli cum Romæ degerem. In ejus aquæductu marmor inclusum, hunc Indicem incisum continet:

TIBERIUS CLAUDIUS DRUSI FILIUS CÆSAR. AUG. DUCTUS AQUÆ VIRGINIS DESTINATOS PER CÆSAREM A FUNDAMENTIS NOVOS REFECIT AC RESTITUIT.

In hortulo verò Angeli Colotii antiquitatis viri studiosissimi Tiburtino lapide sculpta hujusmodi leguntur.

TIB. CLAUDIUS DRUSI F. CÆSAR AUGUSTUS GERMANICUS PONTIFEX MAXIM. TRIB. POT. V. IMP. XI. P. P. COS. DESIGN. IIII. ARCUS AQUÆDUCTUS VIRGINIS DISTURBATOS PER C. CÆSAREM A FUNDAMENTIS NOVOS FECIT ET RESTITUIT.

Ædicula, inquit Frontinus, fonti appoſita hanc virginem pictam oſtendit. Alii autem virginem appellatam tradunt, quod quærentibus aquam militibus Virguncula venas quaſdam monſtravit, quas ſecuti ingentem aquæ modum invenerunt. Barthol. Marlianus in Topograph. Romæ de Aqua virginis lib. 6. c. 15. & lib. 7. c. 16.

CAP. CV.

Quid per tres Charites virgines manibus inter ſe junctis pictas veteres ſignificari voluerunt?

TEmpla Gratiarum in medio urbium loco conſtituebantur, in quibus tres charites virgines manibus inter ſe junctis pingere ſoliti ſunt veteres, hac ſpecie ut una faciem ad intuentes converteret, duæ vero

vero reliquæ aversam à nobis ad beneficii autorem referrent. Qua imagine, & à Deo mutuis officiis homines inter se devinctos ac copulatos esse, & ad pietatem Deo debitam pertinere gratitudinem ergæ bene meritos significarunt, & quidem pro uno beneficio in nos collato, geminas à nobis gratias vicissim persolvi ac restitui debere. Exuscitant autem nos ad habendam memori mente & voce declarandam bene meritis gratiam, hæc sapientissimorum hominum monita & vetustissimæ imagines. Nudæ igitur figurantur & sine nodis, quia amici animos solutos ac nudos & apertos inter se habere debent. Finguntur etiam ridentes, ut doceamur voluntaria esse debere nostra in amicos obsequia. Juvenes itidem & virgines & perlucida veste, quia vera amicitia consistit in rebus honestis. Item consertis manibus in se redeuntes instar chori, quia ordo beneficii per manum transeuntis, nihilominus ad dantem revertitur, & tunc pulcherrimus est, dum cohæresit & vicissim revertitur. Hilares sunt, quales esse debemus in dandis, accipiendisque beneficiis. Juvenes, quia beneficii accepti gratia & recordatio non debent senecere.

Cap. CVI.

Quæ Regiones, urbes, loca, &c. ſubſint ſigno Virginis?

INter ſigna cœlcſtia ſextum obtinet locum *Virgo*: ut autem ſecundum Aſtronomos cuilibet ſigna certa ſubſunt loca inferioris hujus mundi, quæ à ſignis magni & ſuperioris mundi reguntur; Regiones Virgini ſubjecta ſunt:

Achaia, Aſſyria, Babylonia, Corinthia, Creta, Croatia, Græcia, Meſopotamia.

Urbes hæ Virgini ſubjectæ ſunt.

Aretium, Baſilea, Brunduſium, Corinthus, Cumæ, Hieroſolyma, Lutetia, Rhodus, Segnia, hinc verſus:

Virgine ſub caſta felix terraque marique
Eſt Rhodos, Ioniæque urbes & Dorica rura,
Arcades antiqui celebrataq; Curia fama, &c.

Cap. CVII.

Quæ membra hominis ſubſint Virgini?

SEcundum Gnoſticos & Planetarios Virgo in homine tenet ventriculum & inteſtina. Quando Sol Virginem permeat, pul-

pulchrum tempus est, humiditates multa in campis. Ipsius Virginis signum in universum quidem humidum perhibetur ac tonitruosum, divisim tamen habetur hujusmodi, ut quæ antecedunt partes sint calidæ, corruptionique accommodatæ, quæ mediæ temperatæ, quæ ultimæ humentes ac pluviæ: partes verò Septentrionales ventosæ, quæ tamen in austrum tendunt, moderatæ, &c. Quando luna in Virgine est, non prodest prædictis membris mederi, sive ferro tangere, nec Venere uti, nec litigare, nec in igne laborare, prodest viduas ducere, emere & vendere pannos, animalia, & alia gravia, conducere mercenarios, ablectare pueros, peregrinari versus meridiem, tabellarios mittere, cum scribis mercatoribus & artificibus negociari, societates inire, puéros ad scholam & alia artificia subtilia mittere, aurum & argentum tingere, monetas cambiare & mutuò dare, mercantiam exercere, officia suscipere, arbores inserere, agros colere, seminare, & quicquid tellus requirit agere.

Cap. CVIII.

Planetæ sive constellatio pueri puellæque nati natæve sub Virgine.

SIgnum ipsum Virginis sterile putatum fuit, hinc Græci dicunt ἄγονον: hoc est, infœcundum parumque omninò genitale, quin etiam ab artium humanitatis studiis Anthropides vocatum est: efficit enim natos bonos, honestos, verecundos, delitiosos, litteratos; eruditos, mysteriorum atque arcanorum gnaros, computatores rationales, dispensatores, morum institutores, scribas, negocioſos, curioſos, quæ virtutes hominum sunt propriæ. Quin etiam ut hominis ipsius initia ærumnosa sunt, etenim infans cum primum terram atrigit, in fletum prorumpit: sic, qui nascente Virgine in lucem veniunt, primos vitæ annos difficiles ac solicitudinis & laborum plenos exigunt: post vero ætate progrediente fructus vitæ uberes consequuntur cum honore & laude. *Iohan. Iovian. Pontan. de reb. cœlest. lib. 5. c. 6.*

Puer natus intra 15. Augusti & 14. Septembr. est naturæ & proprietatis signi Veneris, complexionis Mercurii: melancholicus, frigidus, siccus, fœmineus, communium

nium ſenſuum. pulchri capitis & faciei, brevis frontis, ſimplicis naſi, acuti viſus, longi corporis, pedum canonicorum, morum probatorumque, brevis iræ, ſapiens, durus in verbis, honeſtus, purus, facilè ad quævis movetur, facile credit: poſt mediam ætatem exurgit. Primus genius fortunæ ejus eſt ſimplex & timidus. Summam fortunam innuunt ipſi Regiones Meridionales & Occidentales, Septentrionales ſunt mediocres, non adeò infortunatæ. Aſt à Solis ortus cardine ſibi caveat, hic minatur ei infortunium & periculum vitæ.

Omnes colores ſunt ipſi fauſti, exceptis ſpadiceo, viridi, nigro, jecorino, qui ſunt infauſti & mali ominis. Summa fortuna ſunt ipſi Terræ naſcentia & omnia aëria, aqueaque, aſt omne quod ex igne proſilit, ſive eo pararur, infortunium minatur: Morbus corporis eſt.

Carceres patietur, capitis dolore afficietur: aurium, oculorum, cordis, ventriculi, inteſtinorum, febrium, ſenſuumque tormenta ſubibit, mortis ejus ſigna erunt & cauſæ, ſiccitas ſtomachi & ardor capitis.

Puella nata intra prædictos dies ut plurimum ejus naturæ erit, eſt levis cordis, fortunata, nimium conſultrix, pudica: labor ejus in diſcendo multa ſubtilia. Poſt multa tentamina pervenit ad honores à

duobus viris per mulierem quæ prodierit ipsi, per aliquod tempus irascitur parentibus suis, læsionem in capite sentiet, & multa variaque pericula morborum.

CAP. CIX.

Cur apud veteres signum Virginis vitem adversari credebatur?

SAne prudens, attamen superstitiosa antiquitas, quum animadverteret vinum nimium & immoderatum præcipuum esse nequitiæ fomentum, in illa persuasione fuit, signum Veneris vitem aversari. Cavendum enim, ut Orpheus monet, ne Luna signum Virginis percurrente vitem seramus, eam enim odio prosequitur ad indicandum Virgines vinum non secus ut virus fugere, & vitare debere: nam qui spiritu impletur, habet prudentiam, verecundiam & castitatem, qui vino, insipientiam, furorem, procacitatem & libidinem. Si igitur Virgo nimium vini sorbet, ab eo absorbetur. Quælibet igitur Virgo aspiciens Lunam, signum virginis percurrere sibi imaginaretur: h. e. à vino esse abstinendum, aut si valeat, de collo pendentem Lunam, virginem subradiantem ex auro vel argento gestet, quotidianum castitatis suæ admonitorem & custodem.

CAP.

Cap. CX.

Vnde cera membrana, & mel virginis dicatur?

VT puritas virginitatis semper summo in honore habita fuit, sic omnia prima & primitiæ rerum puriores quodammodo censentur & reputantur. Hinc mel quod primitus apes mellificant, ut & cera à sua puritate & integritate, *Mel & Cera virginea* nominantur, ut & membrana ex juvenculis agnellis, &c. confecta, *membrana virginis* dicitur.

Cap. CXI.

Virgines laudatæ in Sacris.

QUanquam ut superius dictum, magna sit lis cum forma pudicitiæ, fuerunt tamen quædam mulieres sanctæ & pulchræ exterius & tamen non vanæ, quia pulchritudinem suam mundo in concupiscentiam non ostenderunt: hinc laudat sacra pagina à pulchritudine filias hominum, Gen. 6. *ibi videntes filii Dei, filias hominum, quod essent pulchræ, sumserunt sibi uxores*, de quibus latius egi in *libel. de Gigantib. cap.* 3. ¶ Laudatur

datur & à pulchritudine *Rebeccæ c.* 24. ibi Rebecca puella nimis decora, virgoque pulcherrima & incognita viro. * Laudantur & à pulchritudine filiæ Jobi, *cap. ult.* ubi. Non sunt autem inventæ mulieres speciosæ sicut filiæ Jobi in universa terra, quæ appellatæ sunt Dies & Cassia & Cornu stibii, sive cornu conversionis; quibus nominibus voluit Job consignare memoriam utriusque fortunæ suæ prosperæ & adversæ, *Glos. ibidem.* * Laudatur & à pulchritudine Judith ista heroina. *Iud. c.* 10. ibi. cui etiam Dominus contulit splendorem, quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat, & ideò Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret, itidem considerabant faciem ejus, & erat in oculis eorum stupor, quoniam pulchritudinem ejus mirabantur * Laudatur & à pulchritudine Virgo regina Esther, libr. *Esther capite* 2. ibi. Esther pulchra nimis & decora facie: itidem erat formosa valde & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur.

Laudatur & in cap. 1. libri Esther rejecta & repudiata illa regina Vasthi à pulchritudine, ibi. Erat enim pulchra valde, & præcepit rex Asuërus ut introducerent eam, ut ostenderet cunctis populis & Principibus pulcritudinem

illius. A pul-

A pulchritudine toties commendat ſponſam ſuam Salom. in *Cant. c.* 1. Nigra ſum, formoſa: O pulcherrima inter mulieres! pulchræ ſunt genæ tuæ, ſicut turturis, collum tuum ſicut monilia. Ecce tu pulchra es amica mea. Ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum, c. 2. Sicut lilium inter filias. Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, cap. 4. Quàm pulchra es amica mea, quam pulchra es, oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecus latet. Tota pulchra es amica mea & macula non eſt in te. c. 6. Pulchra es amica mea, ſuavis & decora ſicut Jeruſalem. Pulchra ut Luna, electa ut Sol, cap. 7. Totam commendat à greſſu ab umbilico, ventre, collo, oculis, naſo, capite & coma, &c. quæ omnia myſtica ſunt pleniſſimum incomprehenſibilis amoris Chriſti erga ſponſam ſuam, & viciſſim ſponſæ erga Chriſtum continent argumentum. Maximè autem commendatur & ſupra omnes alias B. virgo Maria, quæ ante partum, in partu & poſt partum manſit virgo.

CAP.

Cap. CXII.

Virgines culpatæ in Sacris.

INcrepantur in sacris filiæ duæ Lothi ob incestum cum patre commissum, *Gen.* 19. ❧ Redarguitur Dina filia Liæ ob curiositem quod egressa fuerit, ut videret mulieres regiones illius, & sic raptum & stuprum perpessa fuerit, *Gen.* 34. ❧ Culpantur negligentiæ quinque illæ virgines fatuæ, quæ acceptis lampadibus non sumserunt oleum secum, & sic noviſſimè venientes exclusæ sunt. *Matth.* 25. ❧ Redarguitur etiam saltatrix ista puella filia Herodiadis, quæ præmonita à matre pro precio jurato promisso, postulavit caput S. Johan. Baptistæ, *Matth* 14.

Cap. CXIII.

Virgines laudatæ ab Ecclesiasticis historicis.

VIrginum laudatarum ob martyria & confessiones ab Ecclesiasticis Scriptoribus numerum exhibent *Fasti Ecclesiæ*, *Legenda Sanctorum*, quarum cum tantus numerus sit ut nimis longum foret eas omnes hicce recensere, benivolum Lectorem eò remitto. Carolus enim Magnus cum omnium sancto-

sanctorum numerum colligi jussiisset, ad singulos ferè dies ultra 300. invenit; ob id institutum est Festum *omnium Sanctorum*, & in ejus festivitate octavo cantatur de virginibus, lectionem de virginibus legit unus ex pueris, Octavum etiam responsorium dicunt de virginibus, scilicet, Audivi vocem quod cantatur à quinque pueris coram altari B. Mariæ virginis si fuerit ibi, candelas in manibus tenentibus ad repræsentationem quinque prudentum virginum lampades ornatas & accensas habentium. *Guilhelmus Minatensis Episc. in Rationali divinorum officiorum lib. 7. De festo omnium sanctorum p. mihi 254. & lib. 8. de virginibus p. 262.* ⁂ Non minimum numerum sanctarum & canonizatarum virginum unica historia S. Ursulæ testatur, quæ 11. millia virginum in turba sua socia habuisse prædicatur. Goltwurm. *in fast. Eccles. fol. 281.* ⁂ Et virgines sanctæ sub Impp. paganis acerbissima tormenta & martyria sustinuere, ut sancta Domicilla, Margarita, Caterina, Agnes, Cecilia, Agatha, Lucia, &c. de quibus *Basil. Gradi de Ragusa. in tract. Della virginita. c. 20.* ⁂ habuit & Philippus unus ex 12. Apostolis duas filias quæ in virginitate consenuerunt. Et altera filia ejus quæ in spiritu sancto conversata est Ephesi quiescit. Lucas in Actis Apostol. sic. *Venimus Cæsariam & in domum Philippi Evangelistæ ingressi,*

ingressi, qui unus erat ex septem, manssimus apud illum. Erant autem huic quatuor filiæ virgines prophetantes. Eusebius histor. Eccleſiaſt. libr. 3. c. 31.

Cap. CXIV.

Virgines laudatæ à profanis Scriptoribus.

A Specioſa forma præ aliis maximopere commendatur Helena illa Trojani belli & excidii primaria cauſa. ✻ A pulchritudine & celeritate curſus laudatur Atalanta, quæ corporis viribus & celeritate pedum non ſolum fœminas ſed & homines anteibat. *Nat. comes in Mytholog. lib. 7. c. de Atalanta.* ✻ Laudatur & ab eruditione filia Accurſii. ✻ Laudatur & Iohanna Lotharingica illa virgo à fortitudine, de qua ſuperius. ✻ Laudatur ſummopere ab utraque militia Eliſabetha illa Angliæ regina quæ poſt diuturnum regimen in vivis deſiit eſſe ✻ Laudatur à ſervata virginitate Kunegundis Henrici Imp. conjunx ✻ celebratur & Virginia virgo, quam pater Virginius Icilio uxorem deſponderat, quamque Appius unus ex decemviris vitiare tanquam ſervam ſatagebat, ob idque à patre peremta. Hiſtoriam enarrat Livius, cujuſque indubitatam fidem facit multæ antiquitatis marmorea tabella cum hujuſ-

hnjusmodi inscriptione Romæ in S. Maria Monticelli extante.

D. M.

Virginis filiæ meæ carissimæ Virginiæ nimiam ob pietatem propriis meis manibus interemtæ, proh dolor, quantum fuit carissima in anno XVI. *juventutis ejus menses* V. D. III.

Hodierno seculo vigent laudibus stupendæ eruditionis Elisabetha Westomia Anglica virgo, quæ carmina ad Imp. Rodolfum & alios doctissimos viros scripsit, & Juliana Morella Barchin virgo, quarum superius honestam fecimus mentionem.

Cap. CXV.

De Sibyllis virginibus divinantibus.

Dicit *S. Hieronymus* inter gentiles solas Sibyllas virgines donum prophetiæ à Deo adeptas fuisse propter virginitatem. Marcus Varro decem ponit Sibyllas in libr. de cultu divino: hunc sequuti *Lactantius*, *Hieronymus*, *Augustinus*. Ex communi tamen relatione Duodecim numerantur Sibyllæ quæ viderunt gloriam incarnationis dominicæ & plurima de Christo prædixerunt, ut

Sibylla Persica] *cujus meminit Nicanor in vita Alexandri Magni.*

Sibylla

Sibylla Lybica] *de qua Euripides.*
Sibylla Delphica] *de qua Diodorus Siculus, Plinius, Eusebius, & S. Hieronymus.*
Sibylla Cumæa] *de qua Virgil. lib. 6.*
Sibylla Erthryæa]
Sibylla Samia] *cujus meminit Eratosthenes, Eusebius, & S. Hieronymus.*
Sibylla Cumana, *alias Amalthea.*
Sibylla Hellespontiaca]
Sibylla Phrygia] *alii dicunt Cassandram regis Priami filiam.*
Sibylla Tiburtina] *alias Albunea.*
Sibylla Europæa]
Sibylla Agrippa] *de quibus numero decem tantum est videre ap. Lactantium lib. 1. c. 6. divin. instit.*

De carminibus & vaticiniis earum & an ipsæ Sibyllæ fuerint salutem consecutæ, videat benivolus Lector *Memorabilia mundi Matthiæ Quadi part. 1. de Sibyllis. Marquardi de Susannis in tra. de Iudæis part. 3. c. 1. n. 56. 57. 58. & 59.*

CAP. CXVI.

De puellis virginibus in mares mutatis.

COntingit interdum fœminas in mares mutari: nunquam verò mares viri in fœminas mutantur repugnante scilicet natura,

natura, quæ ſemper expetit dignius & indigniori reſiſtit, nec fabuloſum hoc eſt, eſt enim clariſſima & vera Hippocratis & Galeni ſententia, habere etiam mulieres ſuos teſticulos & genitalia æquè atque viros, atque ob id non minus etiam quàm viros caſtrari poſſe, quemadmodum eas in Lydia caſtrari affirmat *Alciatus in. l. Spadonum ff. de verb. ſig. & lib. 4. antiq. lect. c. 10. & lib. 20. c. 14.* quamvis in maribus genitalia membra propter caliditatem expellantur, in fœminis verò propter frigiditatem intus retineantur. Plures ita converſæ leguntur. Hippocrates ſcribit, Phætuſam Pythæi uxorem in marem fuiſſe converſam, barbam, hirſutum corpus, & vocem aſperam habuiſſe. Idemque Namyſiæ Georgippi uxori in Thaſio accidiſſe. *Plinius l. 7. nat. hiſt. c. 4.* inquit. Licinio Craſſo, & Cajo Caſſio Longino Coſſ. ex virgine puerum effectum Caſſinum appellatum: quod etiam confirmat *Gellius l. 9. noct. Att. c. 4. Livius l. 4. ſecundi belli Punici*, Q. Fabio Maximo. & M. Claudio Marcello Coſſ. ait, Spoleti virum ex muliere factum fuiſſe. *Lucius Mucianus* prodit Argis vidiſſe Areſcuſam mulierem maſculum Ariſcontem appellatum evaſiſſe, barbam emiſiſſe, ac uxorem duxiſſe, & Smyrnæ ſimilem puerũ agnoviſſe. Et in Aphrica nuptiarum die Lucium Coſſorium civem Tiſdridanum ex fœmina in marem fuiſſe verſum.

Amatus

Amatus Lusitanus Medicus cens. 2. curatione 39. scribit: in Lusitania in oppido Esveica Martham Pacchecam primorum menstruorum loco Priapum emisisse, & sic in marem versam virilem togam sumsisse, Emanuelem appellatum, qui ad Indos profectus postea dives & clarus in patriam reversus uxorem duxit. *Baptista Fulgos. in libro rer. memor. scribit* Neapoli Ferdinandi regis tempore Ludovicum Guernam civem Salernitanum quinque habuisse filias, quarum primas Franciscam & Carolam cum ad decimum quintum annum perveniissent, virilia emisisse, unde mutato habitu Franciscum & Carolum fuisse appellatos & pro maribus tractatos: Et idem *Fulgosius* dicit: Sub eodem rege puellam prima nocte, qua cum viro suo concubuit, genitalia membra protulisse, domumque reversam in judicio dotem suam repetijsse, & exinde marem fuisse habitum. De alijs fœminis in mares conversis scribit *Marcellus Donatus lib. 6. de medica historia mirabili, ut testatur Ioh. Benedict. in tractat. de furt. §. animo lucrandi. num. 207. Matthias Quad. in memorabil mundi par. 1. fol. 46. Gregor. Rolbag. in certam. masculo fœm. in acie viril. c. 8. recenset Ioh. Pontan. de reb. cæleſt. lib. 10. cap. 5.* se vidisse & perquam cognitum etiam ab eruditis viris habere: Casetana muliercula viro piscatori nupta, cum quo

quo annos complures Veneris res miscuerat, ut Antonius Panhormita piscatoris amicus referre adolescentibus solitus est, post quartum decimum annum è muliere in virum transiit exorto repentè in muliebris naturæ loco virili pene. Quo facto, quod conditionis perpuderet suæ, ut qui à viris pariter mulieribusque rideretur, è civili vita ad vitæ genus religiosum transiit, vixitque in monasterio, in quo ipse eum novit, vitæ suæ reliquum, sepultusque est Romæ in Mariæ ad Minervam Templo. Aliud exemplum idem refert de Æmylia mutata in virum, & addit: Hos naturæ cœlestiumque agitationum effectus mirari magis possumus, quam quomodo fiant, eorum rationem singillatim reddere. *Severinus Pinæus Carnutensis Parisiis in Chirurgia Magister primus* planè non credit sexus mutationem, seu filiæ in filium conversionem in *tr. de notis virginitatis. problem. 2. p. mihi 56.* quo benivolum selego Lectorem.

CAP. CXVII.

Quid portendant somnia de virginibus.

QUamvis somnia fallaci ludunt temeraria nocte, & pavidas mentes falsa timere jubent, aliquid tamen divini & vaticinii in iis latere, sacra pagina satis super-

ſuperque demonſtrat *Geneſ.* 28. *Geneſ.* 41. *Matth.* 1. Plura alia exempla ſuppeditant Biblia *Gen.* 20. 31. 37. 40. 46. *Num.* 12. *Iud.* 7. 1 *Sam.* 3. 28. 2. *Sam.* 7. 1. *Reg.* 3. 28. *Eſth.* 1. *Iob.* 7. 33. *Dan.* 1. 2. 3. *Ioel.* 2. 2. *Macchab.* 15. *Matth.* 2. 27. *Act.* 2. 16. Sic etiam ex ſomnijs varias obſervationes collegerunt Secretiſtæ & ſecretioris Philoſophiæ perſcrutatores, ut indicant libelli ſomniorum & interpretationes eorum. In quibus ſomnia de virginibus, delicias, voluptates & gaudia omniaque læta portendunt. Amatores enim plerumque ſomniant amaſias, amplexus & oſculà, blandaque colloquia. *Phil. Melanchthon de diverſ. gen. ſomn.*

CAP. CXVIII.

An omnes fuerint virgines in turba & ſocietate S. Vrſulæ?

UT Legenda habet, undecim millia virginum in ſocietate ejus numerantur. Verum cum & juvenes adoleſcentes, reges in ea cohorte fuerint, ut pater ex buſtis in templo S. Vrſulæ Coloniæ Agrip. ad Rhenum: minor autem eorum numerus fuerit, à majori denominationem ſortita eſt argum. §. *Gallinarum, &c. inſt. de rer. diviſ.* ut & modicum in S. Scriptura non reputatur:

argum.

argum. quod Matth. ſcribit Chriſtum in cruce noluiſſe bibere: alter vero ſcribit. Et cum guſtaſſet, &c. ibique gl. Vnde quamvis totus exercitus numerus Virginum nuncupatur, hoc tamen non eſt tantum intelligendum de ſexu fæmineo, quia quam plures Epiſcopi & alij ſancti Martyres interfuerunt, qui etiam caſtam vitam duxerunt, ſed propter excellentiam, quia maxima multitudo fuere virgunculæ: ideo exercitus Virginum nuncupatur. Poteſt etiam dici, quod propterea dicitur Exercitus Virginum, quia beata Vrſula fuit informatrix & principalis inſtauratrix hujus ſanctiſs. exercitus. Hinc eſt, quod hodierna die in Cœmiterio ubi reliquiæ ſanctarum virginum requieſcunt, nullus poteſt ſepeliri, quia ſi aliquis ſepeliretur, clauſo tumulo in craſtinum ſuper terram appareret: quia hæc terra de corporibus ſanctarum virginum creditur ſanctificata, *prout inveni in paſſionali S. Vrſulæ c. de 11. mill. virg. p. 85. vid. Aubertus Miræus Bruxell. Canonicus in diſquiſitione de SS. virginibus Colonenſibus.*

Cap. CXIX.

Expositio l. 6. §. 1. l. 34. in fin. ff. de adulter §. item lex Julia Inst. de publ. judic. ibi.

Stuprum in virginem committitur.

Accurs. ex d. l. 34. §. *adulterium.* [ibi stuprum in vidua vel virgine, vel puero committitur,] colligit stuprum committi ante pubertatem, adulterium post pubertatem tantum. *ff. ad l. Iul. de adult. adducit l. 36. cod. ibi.* [Quoniam tale crimen post pubertatem incipit,] sed reprehendit eum ibi *Gothofr. lit. M.* nam virgo ibi opponitur nuptæ, qualis pubes esse potest: & proprie *d. l. 36.* non loquitur de ætate sive tempore hujus delicti, sed de ætate excusationis à delicto dicit: Si minor annis adulterium commiserit, l. Julia tenetur, quoniam tale crimen post pubertatem incipit. Loquitur ergo in terminis excusationis: nam minores quamvis alias in delictis beneficio ll. excusentur, cum ipsum ipsos innocentia consilii tueatur; in hoc tamen crimine utpote gravi excusationem non merentur: nulla enim deprecatio adulterii pœnæ est *l. 37. §. 1. de minor.* igitur addit. Quoniam tale crimen.] non

non quod tum post pubertatem incipiat hoc crimen committi, sed quod non mereatur veniam etiam à minori perpetratum. Post pubertatem] inquit, subintellecto tamen si nupta fiet minorennis illa: alias est stuprum, ut supra, de quo latius egi in *cent. 2. quæst. 13.*

CAP. CXX.

Exposititio dicti Jobi c. 31.

Pepegi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.

SImpliciter intelligendo hoc dictum, videtur omnis cogitatio, omnis conversatio, omne colloquium, &c. cum virginibus prohibita, sic & nullus introitus ad matrimonia ineunda patebit. Verùm sincerè intelligendum erit de prava in nobis concupiscentia coercenda. *Syr.* 23. Domine Deus Dominator vitæ meæ custodi me ab oculo impudico, & custodi me ab oculis malis, ne patiaris me obbrutescere in crapula & libidinibus & custodi me à corde impudenti. Ideoque fœdus Jobi intelligitur pactum cum oculis ratione pravæ concupiscentiæ, non veri & sinceri amoris, qui nullibi prohibetur, cum & ipse habuerit uxorem; Ideoque fomenta & irritamenta libidi-

num extra ordinem vagantia sunt fugienda, non verò legitimus & concessus usus, *Syrach.* 9. Fuge amicas, ne incidas in laqueos ipsarum.

CAP. CXXI.

Expositio dicti Lichtenbergeri.

Virgines Germaniæ ornabunt sese in die festo sertis ex lilio factis.

INter alia Vaticinia, quæ *Lichtenbergerus* edidit, *& hoc habetur cap.* 18. quod Paracelsus ita in vatic. Lichtenber. interpretatur. Virgines Germaniæ sunt illi, qui sunt annunciatores diei festi & festarum, sacrarumque rerum, nimirum qui templis sunt dicati: Hi Lilio obligabunt sese, & diem suum festum ornabunt, eo, nullos amplius operarios habebunt dies, sed liberabuntur, & iterum ad diem festum afferentur. In summa vaticinium hoc est. Scorpioniſtæ, hoc est, hostes Ecclesiæ conabuntur Lilium aggredi, ast non vincent, & hicce lapsus Germaniæ viris festivis virga erit; hucusque Paracelsus.

CAP.

Cap CXXII.

Quæ Terra per Virginem denotatur.

En tibi formoſæ ſub forma Europa puellæ,
Vivida fœcundos pandit ut illa ſinus.
Fidens Italiam dextra Cymbroſque ſiniſtra
Obtinet, Hiſpanum fronte geritque ſolum.
Pectore habet Gallos, Germanos corpore geſtat,
Ac pedibus Grajos Sauromataſque fovet.

Cap. CXXIII.

Expoſitio verſ. apud Catul.

Virginitas non tota tua eſt, ex parte parentum eſt,
Tertia pars matri data, pars data tertia patri,
Tertia ſola tua eſt, noli pugnare duobus,
Qui generoſua jura ſimul cum dote dederunt.

SUnt Catulli ad Juliam ne Manlio ſit refractaria. Quæri autem hic poſſet, quare non tota ſit puellæ Virginitas, cum ipſa volente ſervetur & tollatur. ℟ & reſp. Totam eſſe virginis quoad ineſſe: pater enim & mater nihil faciunt ad virginitatem filiæ, niſi quod talem procreent filiam, parentum ex parte eſſe quoad attinentiam, quia & parentum intereſt filiæ virginitatem illibatam eſſe:

ideo fecit hos versiculos Catullus ad Juliam ne fiet refractaria marito suo Manlio, ut pote cui parentes sua jura attinentiæ simul cum dote dederint: ideoque nihil aliud innuere voluit, quam totum jus & dominium quod parentes habuere in filiam, maritum accepisse in uxorem. Cur vero prima pars adscripta fuit matri & non patri, utpote superiori? * Dubium movet, nam si ut ante dictum; maritus totum jus habet in uxorem, cur non etiam primas partes pater habeat in filiam? Posset resp. aliud esse quo ad maritum, & aliud quo ad patrem. Ille totum jus indivisum, & solus habet in uxorem: hic verò divisum & ex parte tantum; cum pars matri, utpote cui cohabitat pater, debeatur ex jure naturæ, quo magis matres amant liberos, quam patres. Imo magisque puellas quam pueros, majorique cura observant & custodiunt matres liberos, quam patres: inde fit, cum majus onus in procreando in utero gerendo, pariendoque mater sustineat, prima etiam pars quo ad attinentiam matri adscribitur, inde nullum præjudicium infertur patri, quæ enim sunt matris, primò reddenda sunt matri. Secunda demum pars patri, utpote qui præter agendum, nihil præterea oneris sustinet, adscribitur. Tertia ratio potest esse, quod sæpissimè inferioris gradus res in ordine præponantur, quo ex iis major superiorum

dignitas

dignitas elucescat. Ideoque hic quo ad attinentiam suitas prælata est, & primus gradus matri, secundus patri, tertia & vera suitas ipsi virgini filiæ quo ad inesse, & illis parentibus pars tantum competit: filiæ verò totum simile de facto proponitur in *l.* 1. *Cod. de dignitat. lib.* 12. ideoque suadet Catullus Juliæ ne refragetur, cum parentes suas partes dederunt genero, & ipsamet Julia ad domum mariti deducta, suum quicquid habet, marito obtulerit.

CAP. CXXIII.

Expositio Dicti:

In virginitate vivimus nos gloriosè.
In vera viduitate castè.
In matrimonio publicè.
In concubinatu impudicè, licet tolerabiliter.
In stupro damnabiliter.
In adulterio damnabilius.
In incæstu damnabilissimè.

ET *dictum illud Baldi in ca. causam de probat. numero* 17. In Virginitate, inquit, vivimus nos glorioſè. Quare? num quod ab initio eam nobiscum adferimus, multumque laboris sit eam illibatam conservare? Sic, ex eo enim quod difficilius majorique cum labore conservatur & custoditur,

major gloria exiſtit. Accedit quod Apoſtolus 2. Corinth. 7. dicit. *Ea quæ innupta manet, cogitat ea, quæ ſunt Domini*; accedet can. effatum: Nuptiis terra repletur, Virginitate Paradyſus, ut igitur præſtat Paradyſius terræ: ſic major gloria inde oritur, quum facimus ea quæ ſpectant ad glorioſiora.

Cap. CXXV.

Expoſitio Levit. 21. cap.

Pontifex virginem ducet uxorem, viduam autem & repudiatam & ſordidam atque meretricem non accipiet.

Inter affimativa Moſaicæ legis præcepta & hoc ex Lev. c. 21. v. 56. legitur. Verum quæ cauſa, quod Pontifex virginem tantum ducere debeat uxorem? Nonne majus miſericordiæ opus in viduam ducendo & meretricem exerceret? nonne ſecundum Dei præceptum fratris ſui defuncti uxorem ducendo viveret? Ratio hæc eſſe videtur. Cum Deus optimus max. purum imò puriſſimum Ens ſit & immaculatum, à puris quoque cordibus & mentibus coli vult, ſis ergo ſanctus, quia & ego ſanctus ſum Dominus, ibid. Per virginem igitur immaculatam puritas mentis, caſtitas cordis intelligitur. Cum

per

per viduam distractio, per meretricem contaminatio significetur. Ideò virginem ducere tenebatur, & erat allegoria ad Christum unum nostrum summum Pontificem & Ecclesiam virginem & sponsam totam pulchram & immaculatam.

CAP. CXXVI.

De falso credita cohabitatione puellarum in Paradyso à Mahometistis.

A Deo magna semper fuit æstimata virginitas ejusque integritas, ut & *Mahomet in Alkorano cap.* 64. ubi de Paradyso ejusque deliciis refert, formosissimarum puellarum cohabitationem effinxerit. Illic quidem, inquit, credentes accubabunt tapetis sericis, stramentisque purpureis, omnibusque sibi dilectis perpetuò potientur, ducentque puellas formosissimas, ut sunt hyacinthus & Margaritæ, ab hominibus atque diabolis nunquam devirginatas nec menstruatas. Rationem reddit, si ullum oblectamenti in Paradyso genus isthic deesset, beatitudo minimè plena esset. Frustra ergo delitiæ adessent, si voluptas deesset. Verum Christi mysteriis & doctrina qui sumus verè imbuti, scimus longè aliam & majorem ibi voluptatem & lætitiam adesse, quàm quæ est in cohabitatione puellarum, quam nullus o-

culus vidit unquam, nec auris audiit ulla unquam, ibi enim non amplius nubent aut nuptui tradentur, neque regnum cælorum & beatitudo in cibo & pótu consistit, sed gaudium nostrum erit assiduus aspectus faciei, summi Dei laudes & gratiarum actiones, &c. ut satis patet ex sacra pagina. Stultè igitur persuasit Mahometes suis Saracenis corpora glorificata & spiritualia, ut tunc erunt, mundanas istas delicias & præteritas referre & revocare, cum hæc exercitia spiritus animalis sint.

CAP. CXXVII.

Expositio illius Hierem. Thren. 1. cap. *Virgines ejus squalidæ sunt.*

ALbertus *M. in libro de muliere forti exponit* de filiabus legis, *c. Res §. 1. Lit. D.* quæ timore & vana intentione non Deo sed laudi serviant timentes vituperari ab hominibus si votum castitatis quod voverunt, irritum facerent, & illæ sunt de quibus hic Hieremias dicit, quia tales semper amaro animo sunt, quia spurcitiã exercere nõ audent, quicquid enim in corpore & habitu castitatis prætendunt, totum per hypocrisim & vanam laudem turpiori stupro exponunt. Istæ sunt virgines fatuæ, de quibus habetur Matth.

Matth. 25. quarum lampades extinguuntur, veniente Domino ad nuptias. Istæ sunt etiam, de quibus dicit Salomon Prover. 11. *Circulus aureus in naribus suis*; h. e. porcæ, Mulier fatua & pulchra: sicut enim porca circulum aureum stercori immergit, ita istæ pulchritudinem suam in falsa religione pretendunt, luxuriæ laudis & hypocrisis impiam & inquinatam reddunt.

Cap. CXXVIII.

Expositio versic. apud Gothfridum Viterbiensem. Chron. par. 9.

Hunc ego non patiar, dixit Apollo locum.
Albis virginibus ulciscar dedecus illud.

Historia est: cùm Brennus profligatis Macedonibus, quasi spolia humana forderent, animum ad Deorum immortalium templum convertit, scurriliter jocatus: Locupletes Deos largiri hominibus oportere, statimque Delphos iter vertens prædam religioni, aurum offensæ Deorum præferebat, quos nullis opibus egere, ut qui eas largiri hominibus soleãt, affirmabat. Vindex Apollo: *Albis virginibus*, inquit, *ulciscar dedecus illud.* Quid fit? dum Delphos oppugnaret, terræ motu portio montis Par-

nassi in quo templum Apollinis positum esset, abrupta, Gallorum sternebat exercitum, & confertissimi cuncti non sine vulneribus hostium dilapsi ruebant. Insecuta deinde tempestas est, quæ grandine & fulgure saucios ex vulneribus absumsit. Ipse Brennus cum dolorem vulnerum ferre non posset, pugione vitam finivit. Evenitque ut nemo ex tanto exercitu, qui paulò ante fiducia virium etiam Deos contemnebat, vel ad memoriam tantæ cladis superesset, hinc:

Alpibus ingreditur dux ad Galatas rediturus,
Obruitur nivibus subito casu ruiturus.
Deperit in nivibus miles ubique suus.
Albis virginibus tunc ultus Apollo putatur,
Dum mediis albis nivibus dux ipse necatur:
Sic responsa Dei vera videntur ei.

Cap. CXXIX.

A juvene & cupido credatur reddita virgo.

JUvenis in rebus venereis vix continentes reperiuntur: unde ortus ille versus *Gl. in l. si vero. §. si adolescens ff. mandat*, quapropter contra eos suspicamur *cap. litteris Extr. de præsumt. Aym. Pulchrè cons. 321. lib. 2. Actius de infirmit. lit. I. sum. ult &. D. Hieronymus.* Impossibile est juvenem vitiis carnis non

non tentari, quem allegat. *Caroc. de minor. in delict. excuſ. q.* 1.

CAP. CXXX.

Num verè inter miſerabiles perſonas reponantur virgines?

REponit *Menoch. de arbitr. jud. caſ.* 66. *n.* 1. *& n.* 3. inter miſerabiles ultra infirmos & ſenes etiam virgines, *Vivius deciſi.* 65. *n.* 3. *& ſ. ut refert Actius de infirmit. rubr.* 13. *num.* 5. *mihi* 31. Ratio ſi petatur quæ erit? Num quod ſine tutore exiſtant? Num verò quod cuivis ſuſpectæ ſint etiam ex unico oculi nictu? Num quod nihil per ſeſe ſine ſuſpicione agere queant? Num quod caſtitatem, qua propius ad Deos accedunt, ſervant? Quod verum puto. Verum cum caſtitatis virtus omnes alias ſuperet, & à Dijs ſumme colatur, non ex eo inter miſerabiles perſonas cenſeri duco, ſed potius exemtas, ut ea ratione iis ſuccurratur. Nam concurrentibus virginibus, cum ſecundum Actium inter miſerabiles perſonas præferatur is qui majori dignus eſt miſericordia, ut inter pauperes pauperior, ibid. *num.* 12. quæ præferenda erit virgo? Cum una non magis virgo ſiet quam altera, quia interna virtus eſt virginitas, ut ſupra.

CAP.

CAP. CXXXI.

An virgo dici queat sterilis?

VIrgo quæ diu virgo fuit, sterilis nullo pacto potest dici, cum sterilis Græce ἀνάρπος dicatur, h. e. infructuosus & infæcundus per privationem; ergo præsupponitur potentia, quæ quidem potentia concipiendi non est naturaliter in virgine quamdiu virgo perseverat. Ideoque præsumtio illa, quo ad partus suppositionem, si mulier, quæ dicatur peperisse, diu fuit sterilis, de qua *Soc. Iun. in cons.* 90 *n.* 19. *vers. adest etiam. lib.* 2. *& Boss. de partu suppositio n.* 12. *vers. & ita videtur. & Mascard. concl.* 1152. *receptissima. n.* 9. *vers. alia etiam præsumtio; & Menoch. præs.* 24. *n.* 11. *vers. Secunda est conjectura*, nullius est momenti in ea quæ diu fuerit sterilis, quæ diu fuerit virgo. Dicit *Polyd. Ripa in tr. de nocturno tempore rubr.* 162. *n.* 9. 10. 12. 13. 14. 15. & quidem duplici de causa, quarum ea est prior, quia diu virgo non dicitur diu fuisse sterilis, atque ideò si longo tempore virgo perseverans tandem viro subjiciatur, inde potius prægnans surrexisse præsumitur quàm partum supposuisse.

CAP.

CAP. CXXXII.

Cui ſexui annumerandus Hermaphroditus?

RESP. *Vlpianus in l. quæritur* 10. ejus ſexus æſtimandus qui in eo prævalet *ff. de ſtat. hom.* quod ſi magis incaleſcit in ſexu maſculo. pro maſculo habendus. fac. dictum *Bald. in l. fin. C. de ſuis & legit.* ubi vult quod Hermaphroditus ſi magis incaleſcit in maſculino, poteſt ſuccedere in feudo. ad id fac. dictum Bald. in *d. l. quæritur, quod ſi* Hermaphroditus magis prævalet in maſculino, tunc excludit fœminam, ſtante ſtatuto, quod maſculis extantibus fœminæ non ſuccedant, hoc idem tenet *Baptiſta de S. Blaſio in tr. de arbitr. q. 6. in fin.* Sed quid erit dicendũ, ſi uterque ſexus æqualiter apparet in eo, ita quod non poteſt judicari, qui ſexus magis prævaleat? Reſp. Quia ſexus maſculinus præſumitur magis potens, argum. *leg. ſi fuerit §. fin. ff. de rebus dubiis.* Item, quod quis ſit maſculus, eſt magis dignum, *leg. in multis ff. de ſtatu homin. §. ſingularum Inſtit. de rer. diviſ.* Angelus tamen *in leg. de quib. col. 3, ff. de ll.* dicebat: quod Hermaphroditus, ſi aſſerit prævalere in maſculino, debet id probare, quando vult excludere fœminam

nam à succeſſione ſtante ſtatuto. Sed advertendum, quod dictum Angeli procedit, quando venit ad excluſionem alterius, & ſic fœminæ: unde dicendum, ſecundum *Guilhel. de Cuneo, & Alber. in dict. leg. quæritur*, quod totum ſtat in electione Hermaphroditi, qui optimè cognoſcit in quo ſexu ſit magis potens, & quo velit uti, & illo utatur quem magis in ſe prævalere ſentit, & cum agatur de conſcientia ſua, & nullus ita bene ſcit ſicut ipſe, unde debet ſtari electioni ſuæ. not. *in §. ſed iſtæ inſt. de act. & in l. 1. junctâ l. viduæ C. de nupt. hoc Bapt. de S. Blaſio in d. tract. de arbitr. q. 6. M. Ant. Blancus de compromiſſ. q. 2. n. 40.*

CAP. CXXXIII.

Scorpio non tàm citò fœminas lædit ac virgines.

TRadit *Barthol. Anglicus de propriet. rer. lib. 18. cap. 96.* læthali ictu percutere Scorpiones virgines, quando eas feriunt, ſimiliter & fœminas, ſed non tam cito. Plinius lib. 11. c. 26.

CAP.

Cap. CXXXIV.

Apes non iciunt virgines.

TRadit *Andreas Picus in tractatu de Apib. p. 2. c. 3.* Apes adversari impuris & Venereis hominibus. Item, mulieres menstruatæ debent sibi cavere ab accessu apium: nam secundum naturam suam impellit mel sanguinem in homine, & si talis aut vulneratus non abeat, mortem expulsione sanguinis infert, *p. 4. c. 1. num. 1.* Rationem adfert idem *p. 1. c. 1.* Inter omnia animantia terræ mixtionis exsortes sunt apes, unde impuritatem in hominibus statim probant, eosque severiter oderunt.

Cap. CXXXV.

De virgine serpenti adamata.

SCribunt historici serpentes deprehensos esse aliquando amasios puellarum, omniaque & amoris & nequitiæ signa præbuisse. Extat memorabile exemplum apud Plutarchum de serpente, qui Ætolæ cujusdam virginis amore captus noctu eam adire suetus, puellæ corpori circumfusus, hac atque illac illa-

illabens, illam nunquam, neque ultro, neque invitus lædebat, opportuneque sub diluculum recedebat. Quod quum ii, quibus puella curæ fuit intellexissent, eam alio migrare compulerunt. Serpens per triduum & quatriduum non adesse, sed diligenter accurateque circumire, illam quæritans, quam ubi mox invenit, casu illi obviam factus, non uti solitus erat, mitis & blandus, sed asper & horridus in eam insiliit, manibusque primum spira ad corpus astrictis, caudæ residuo fœmora flagellabat, levem quidem iram præ se ferens, sed quæ licet indulgentia aliqua permixta esset, castigationem tamen apertè demonstraret. Ex hoc constat non sine causa serpentes veteribus Symbolum fuisse salacitatis & procacitatis. Hinc & Hebræi omnes consentiunt, Diabolum Deo permittente plurimum in genitalia & concupiscentiam posse, dicentes allegoricè, Sathanam à serpente ferri. Serpente verè ἀφροδισιακῶς voluptatem quæ in ventrem incumbit significari, *Philo* & Hebræi tradunt. Unde Araxam famosæ libidinis fœminam cujus *Diodorus meminit libr.* 3. fingebant fuisse semiviperam, humana videlicet forma umbilicotenus, reliqua viperina.

CAP.

CAP. CXXXVI.

De Aquila virginem adamante.

EXemplum inducitur cujuſdam *Aquilæ* à pulcherrima virgine educatæ apud Seſton urbem, quæ quidem permiſſa à puella libero cœlo, gratias quotidie ei referébat, aves enim primo deinde venatus ſedulò aggerebat. Atqui quum contigiſſet virginem mortuam efferri, gemebunda ſubſiſtit aquila, poſtremo in accenſum rogum ſe mittens cum puella ſimul conflagravit. Hujus rei teſtimonium affert Plinius, ne videatur res ficta & ſine authore eſſe, *Fr. Patricius de regno lib. 3. t. 7. de aucupio, &c.*

CAP. CXXXVII.

Cur buffo addatur virgini?

TRadit *Eraſmus in colloq. peregrinatio religionis ergo*, Buffonem addi virgini. Ratio eſt, quia hæc ſpurcitiem omnem, virulentiam, faſtum, avaritiam, & quicquid eſt terrenarum cupiditatum, vicit, calcâvit & extinxit.

CAP.

CAP. CXXXVIII.

De imaginibus facierum virginis, earumque virtutibus.

SUnt in Zodiaco imagines sex atque triginta, juxta numerum facierum, de quibus, quod ait *Porphyrius*, scripsit olim *Teucer Babylonius* vetustissimus Mathematicus, post quem scripserunt de illis etiam Arabes. In prima facie virginis ascendit figura puellæ bonæ, & vir jaciens semina, & significatio ejus est congregandi divitias, dirigendi victum, arandi, seminandi & populandi. In secunda facie ascendit vir niger, indutus ex corio, & vir habens comam, & tenens loculos, & significatio eorum est ad lucrum & congregationem substantiæ, & ad avaritiam. In tertia facie ascendit mulier alba & surda, sive homo senex, innixus baculo, & significatio ejus est ad debilitatem & infirmitatem, & damnamentum membrorum, & ad destructionem arborum, & depopulationem terrarum.

CAP.

CAP. CXXXVIII.

Num virgines puellæ uniusmodi vestimentis cum adolescentibus juvenibus indutæ agnosci queant?

CUm ex sexus discrimine ejusque prævalentia solummodo discerni puellæ à pueris queant, argum. *l. quæritur. ff. de stat. hom.* ex vestitu haud agnosci poterunt; argum. *l. item apud Labeonem* 15. §. *si quis virgines. ff. de injur.* qualisquisque enim extrinsecus videtur, talis judicari potest, *leg.* 50. *ff. locat.* Verùm sapientissimus ille Rex *Salomon* novum, eumque naturalem agnoscendi modum reliquit. Nam inter alia admiranda sapientiæ opera, regina Æthiopum Nicaula Sabæa, cum Salomonem tentaret, etiam hujusmodi quiddam excogitavit. Formosos aliquot pueros, tam mares quam fœmellas uniusmodi vestitu & eadem tonsura quum exornasset, Salomoni eos exhibuit, utriusque sexus discrimen in his ut indicaret, postulans. Tum ille, jussis pueris facies suas abluere, naturam in utrisque suam deprehendit, quum mares quidem viriliter vultus suos fricarent, fœminæ verò molliter ac delicatè. Illa verò obstupescens, inquit: Majora vidi, quam auditu acceperim. Refert Michaël Glycas

Glycas annal. part. 2. cap. Unde mos imponendi iis, qui ad munus aliquod per suffragia deliguntur, inolevit. Similem ferè & recentiorem commentatur Henricus Cornelius Agrippa in oratione de præcellenta sexus fœminei. De lavatione manuum juvenum aquam turbidam fieri, ex lavatione verò puellarum, semper puram manere.

CAP. CXL.

De Minervalibus sacris, & pugna virginum.

QUod ad bellica fœminarum studia attinet, Herodotus author est Machlyes & Ausæs circa Tritonidem habitare, quorum puellæ Minervali sacro velut in turmas divisæ, fustibus sese & lapidibus incessant, fassæ se patrium morem servare. Tum si quæ vulneribus occubuerint, eas negari virgines fuisse, quæ omnium optima fortissimaque judicata: sed eam Græco armorum apparatu & crista Corinthia in currum sublatam circa paludem multo suorum favore subvehi.

Sabell.

FINIS.

PRÆFATIO.

QUum ex Romano itinere rursus Patavinos visendi cura subiret agros, de via quodammodo fessus, ibi consedi, quievi. Ne autem feriæ istæ meæ planè feræ & inutiles essent, sed magè delectabiles & jucundæ, diu quo id modo fieri posset consideravi. Tractatum aliquem, eumque jucundum auribus, animo applausibilem & denique utilem præ manibus sumere cogitavi. Suggessit illa Dea feriarum, de Dæmone ne terrearis, quem poëtæ fabulantur quendam pusillum recens natum gerentem faces ardentes, qui homines in nescio quas agit affectiones, dicam. Amor ille est, qui ex ocio concipitur, tempore gignitur, feriis alitur & nutritur. Assensus. Vereor autem ne aliqui existant Veneris sacerdotes, qui diutius sacra ejus

coluere, ſicque diſcipulus magiſtrum docere videar. Aſt omnia cum jam retro ſublapſa referri, ego inter Veneris ſacerdotes minimus non tam in ejus gratiam, quàm Lectorum animos, eorumq; corpora ab evagationibus revocare, id in me ſuſccpi oneris, quod ſi pro expectatione præſtiterim, non fuerit puto inutilis labor noſter, ſin minus, temeritatem accuſate meam, qui materiam ſuperſerim non meis viribus aquam. Amorem autem ſive ejus modum tractare cogitanti brevius dilucidiuſve nil mihi occurrit in mentemve venit eo verſiculo gl. qui lineas complectitur amoris: in l. 23. ff. ad l. Iuliam de adulteriis.

Viſus, Coloquium, Convictus, Oſcula, Factum.

Singula verba ſingula conſtituent capita, hiſtorias, diſputationes rationeſque ſubminiſtrabunt jucundas: Benevolentiam veſtram captet Venus ipſa: perficere id haud quid ſtylus meus: apponatur manus calamo, dirigantur ad chartam digiti. Benevolentia captata mea eſt. Plaude Venus, plaudite vos gratiæ, plaudite vos Charites, mitte tela tua Veneris puer Cupido. Benevolentia captata eſt.

LINEA

LINEA AMORIS
Sive
COMMENTARIUS
In Versiculum Glossæ,

Visus, Colloquium, Convictus, Oscula, Factum.

CAPUT I.

De Visu.

VT autem in nullo alio *passibus ambiguis fortuna volubilis errat* magè quam in amore, & hic in principio statim suam mobilitatem ostendit, inimicitiarum siquidem semina inter matrem & filiam spargit, totum conans perturbare & impedire opus. Cum enim secundum Logicos communiter & Ciceronem, omnis, quæ de re aliqua suscipitur disceptatio, à definitione proficisci debet, ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur, in pr. Officior. ff. placet igitur receptum à Jure Consultis. *Paul. Grammat. in suis addit. ad tractatum de reservationibus beneficiorum. Cardin. Iacobi Simonetæ in pr. Cagnol in l. si emancipati. num. 6. Cod. de collat.*

Bellon. in Rubr. n. 1. Inst. de V. O. Hippolyt. Marsil. in tract. de fide juss. in pr. n. 2. vers. Quæro ego solus. Ricciar. Pistor. in Rubr. de bonor. poss. num. 5. vers. 3. cum omnis disputatio. Polydor. Ripa in tract. De nocturno tempore cap. 1. n. 1.

Amor ex suggestione & instinctu fortunæ, primum sibi in definiendo locum attribui petit, cum totus Tractatus de Amore instituatur. Adversatur *Visus*, tanquam mater quæ gignit Amorem, sibique primas vendicat ex ordine illo, & prærogativa naturali, cum illud, quod prius est tempore, potius etiam siet jure, secundum Legistas & Canonistas in *c. Qui potior. ff de R. I. in 6.* Cui assentiar? à cujus partibus stem? hæreo: Postponam ne Amorem? ille me respuet & postponet, & tanquam lapidem, qui non ardeat, accusabit, omnes flammas de corde meo extinguet, omne desiderium auferet, ipsum mundum odiosum mihi faciet, ab hominum cætu separabit, in claustrum detrudet, ad Eremitas me relegabit, igni & aqua mihi interdicet, in insulam deperditam & inhabilem deportabit. Eheu quot supplicíorum genera! Unum non sufficiet, sed ex metallo in opus Metalli me detrudet. O me miserum, quid agam! nescio. Tutius fuisset relinquere, quam incipere, meliusque secundum Augustinum, dubitare de occultis, quam litigare de incertis. Postponamne

Visum?

Visum? Incido in Scyllam, qui volui vitare Charybdim & ipse me Visu privabit, quo quid acerbius supplicio? quid gravius? Miser, imo miserrimus est iste qui lumine cassus est, quomodo enim cæcus amet cum sit tam pauper *juxta Martialem libro* 3. *Epigramm.* 15. Cæcus siquidē pauperrimus est, omnibus privatus deliciis, nec mundum cernere, nec cœlum tueri, nec terram spectare poterit. Sive igitur Visum, sive Amorem præponam, & inter illos maxima bella orientur de dignitate & præstantia, hinc dissidia, hinc pugnæ, quarum omnium causa ego ero efficiens, omnes deinde victi milites me odio persequentur, in meam urbem ac arces ruent, ac de me tanquam autore pœnas gravissimas sument: Consultius igitur laborem illum omittere quam suscipere fuerit. Quid igitur incipiam miser? Sine Visu tempus conteram meum? Idem ac si sine animo viverem: nam oculi non animi tantum fidissimi Duces sunt, sed alterum animum nuncupare audemus, hos etenim cum osculamur, animum ipsum attingere videmur. Visu si carerem, summo Dei beneficio carerem. Nam ut Deus quanti oculos faceret, veluti animi nuntios ac fidos Ministros, nos doceret (æquè enim oculi aspectabili luce delectantur, atque animus invisibili claritate ac veritate fruitur)

solis, lunæ, cæterorumque tum erraticorum, tum fixorum syderum splendorem in oculorum gratiam & mysterium formavit, ut ab ipsis videretur, quo munere omnium nobilissimo adjuti, quicquid in orbe continetur, spectant.

Oculos igitur, utpote in quibus magna virtus est, ut pulchrè deducit *Leonhardus Vairus in libro primo de Fascino, capite primo:* retinebo. Amori, in me si odium suum conjiciat, si me accusare intendat, edoctus lupum obviam mittam, qui illicò ei vocem adimat, ut ne sonum quidem emittere valeat, tantum aberit ut aut vociferari, aut fari queat. Aliaque calliditas ad amorem conciliandum adhibenda est, quam abunde mihi subministrat *Vairus d. libro 1. cap. 4.* ubi solo vestium tactu amorem mulierum allici posse dicit. *Et Agrippa in de occult. Philos. lib. 1. cap. 48.* docet Amorem conciliari, si annuli sive imagines, sive specula, seu alia per aliquod certum tempus sepeliantur aut abscondantur in lupanari, quo ex loco illo venerea quadam facultate afficiantur. Rationem reddit *Vairus dicto loco:* Si enim ea quæ in terræ visceribus, & in ejusdem superficie procreantur, ut mineralia, lapides, herbæ, plantæ & animalia, solo attactu tot incredibiles effectus dare compertum est, quare eodem modo humanæ naturæ earundem etiam efficiendarum

darum virtus non inerit? Tu igitur ad definitionem tuam percipiendam, egredere, meque adversus tela Amoris defende, ipsa in illum retorque: sic in ordine primus, primas habebis *Visus*. Brocardia illa Juris te defendit. Naturalis ille ordo, utpote matrem prætulit. Primum autem operæ pretium duxi oculorum, quibus videndi potestas à natura tributa est, naturam ac munus rectè contemplari. Petrus Apponensis oculum ad videndum factum esse ostendens, ita diffinit: *Oculus est instrumentum videndi, complexione aqueum, cum quadam anteriore planitie, rotundum in suprema anteriore capitis parte locatum, ex septem tunicis & tribus humidis constitutum, sex musculis motum, & uno, vel duobus, seu tribus fultum.* Quæ definitio satis ostendit dignitatem & præexcellentiam, majestatemque fulgentem oculorum. Unde & Vates David cantat in Psalmis suis hinc inde, *Levavi oculos ad Dominum*: irridens gentium Deos: *Oculos*, inquit, *habent & non vident*. Sensit Ovidius, & perbelle expressit hisce:

Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Iussit & erectos ad cœlum tollere vultus.

Unde & oculus apud Hieroglyphicos Ægyptios, regiam sapientiam & intellectum denotat. In Proverbium ulterius cessit: *Oculus Domini faginat equum.* Hisce præmissis, munus

oculorum, quæ Visio est diffiniamus. *Visio est medij luce mediante per pupillam speciei coloris susceptio.* Et Aristoteles *de generat. animal.* 5. inquit: Visio est oculi motus, secundum quod diaphanus. & *Alexander Aphrodis.* Visio eò fit, inquit, quod sensorium colores excipit & sese quodammodo coloribus simile præbet. Et Aristoteles de sensu & sensato: Visum ad multas rerum differentias ostendendas procreatum affirmat. Et quamvis Democritus, Empedocles & Plato in modo videndi ab Aristotele discrepaverint, nunquam tamen obalium finem visum homini datum esse dixerunt. Quod si quis negaret, dignus esset, cui oculi eruerentur. Vnde natura de tam præstantissima oculorum actione sollicita, non unum animali, sed binos singulis largita est, ut perfecta cognitio esset, & ut uno deficiente non protinus tanto privaremur dono.

Et quamvis duobus oculis præditi simus, unionem tamen inter se habent oculi, id quod videre licet quotidie in iis qui ad metam & scopum jaculantur, qui unum oculum claudunt, de quibus videatur Aristoteles in *Problematibus, de Visu.* Nervus enim opticus à cerebro duplici discrimine sectus oritur, qui paulo post conjungitur, & unus fit, postea in duos dividitur, ac quisque in suum oculum proficiscitur. Inter Philosophos tamen maxima

xima est difficultas, ubi videndi vis consistat. Et hanc quidam in humore Crystallino statuunt, alij in tunica retina, nonnulli in Aranea, quidam in humore vitreo, quidam in nervorum opticorum conjunctione, reliqui in humore Crystallino quantum ad initium, in nervo & spiritu quantum ad progressum, in sensu exteriori quantum ad perfectionem locant: nihilominus aliud quam videndi officium in illis non collocarunt, & omni ex parte visum ad videndum videri potest esse formatum, sive ipsius temperiem animadvertas, sive positionis opportunitatem, sive fulgoris colorem, sive experimentorum vim, sive oculorum motum, quoniam tegmen leve est & lucidum ad speculi similitudinem. Quod autem huic proximum est, venosum, molle, nigrum ac perforatum est. Venosum quidem quo corneam abunde alat, molle vero ne suo contactu humorem Crystallinum lædat. Nigrum ut splendorem uniat, & ad pupillam transmittat. Perforatum ut quem transmittit splendorem, foras mittat. Tegmen tenue, album ac durum. Tenue & album ut nitores celeriter transmittat, durum ut tuto conservet, atque ne læderetur, palpebris, ciliis, ossibus ac etiam cute circumdedit & munivit, ut omne quod à fronte atque adeò à capite fluit antequam in oculos

incidat, avertatur. Supra dictum, naturam non sine ratione binos oculos constituisse, reperiuntur tamen in Indijs homines uno tantum oculo in fronte insigniti, ut Cosmographi nobis testantur, & notus est satis Polyphemus iste apud Virgil. E contrario naturæ planè adversans superbit centum suis oculis Argus de quo poëtæ fabulantur. Sed isti naturæ potius monstra quam homines dicendi sunt, hic mythologicam nobis rationem subministrat. De qua videatur *Natalis comes in Mytholog.* Verum ut ad priora redeamus, prænotandum est, quod ad videndum duo præcipuè sunt necessaria: Videndi potestas & ipsum obiectum visui idoneum. Quo autem modo visio fiat, summe altercantur Philosophi. An per emissionem radiorum an verò per receptionem rei visæ? Omissis illorum argumentis ne in infinitum nostra eat disceptatio, per receptionē fieri mihi placet. Quia cum videre sit quiddam pati, ut ait Philosophus, & color semper à sensu distet, mediū aliquod intercedere necesse est per quod color in sensum agat: quod quidem medium diaphanum ipsum est: nam ut idem Aristot. in 7. de physico auditu docet, Agens & patiens oportet esse simul, quare color diaphanum movet, qui color speciem suam in ejusmodi medio lumine affecto spiritualiter multiplicat, Diaphanum autem coloris speciem

ciem ad oculos quos movet defert, & ita videndi actio absolvitur. Argumento erit speculum nullos radios quibus objectum afficiat, emittens. Argumento erit aqua objectum, non minus ab oculis recipiens & formans quod inde roboratur, quia Visus immanens & non transiens actio appellatur; per transeuntem enim actionem semper aliquid fit, quod actione absoluta manet, ut domus ædificatione perfecta domus ædificata relinquitur, ut in Ethicis Aristoteles asserit, sed desistente visione nihil supereſt, ut Alexander & Aristoteles fatentur. Ergo immanens actio est, ut idem in libro Divinorum fatetur. Nec sensum agentem, ut Iohannes de Gandavo opinatus est, fingere possumus, qui transeuntem actionem efficiat: namque cum lux actu colores reddat, calidum exhalans odores, localis motus aërem verberans sonos, humor penetrans nervum gustativum, & linguam, sapores; qualitates tangibiles tactum moveant, ejusmodi sensus agens abundat & ab omnibus Peripateticis exploditur, non igitur ab oculis quidquam exire potest.

Et quamvis Plato dixerit per emicantem ab oculis lucem Visionem fieri, quæ quidem lux rerum simulacra inveniens in visum iuvehat: nihilominus Aristoteles hoc non admittit. Verum lumen oculis vernaculum

culum novit, nec profectò ut egrederetur & externo luminis occursu majores vires sumeret: quin imo si exiret innatum oculorum lumen ob extraneum debilitaretur.

Sed eò hoc lumen in oculis est, ut lumen externum, quod vehemens est temperetur, & oculi rerum sensibilium formæ modum accipiant.

Rationes enim non desunt quibus ejusmodi radiorum ex oculis egressus impugnatur. Nam si luminis radii ex oculis exirent, non secus in luce ac in tenebris videremus, minimeque medio ut externa luce, neque oculorum tunicis indigeremus, atque horum aliquo destructo visus non impediretur, quia internum lumen sufficeret.

Nec permagni referet, an cominus, vel eminus aspiceremus, quoniam eodem modo & sub eisdem dimensionibus & figuris vicina & remota cernerentur, quia insitum lumen ad utraque esset idoneum. Præterea tempore ventoso emissum lumen foras agitaretur & pyramidale & triangulare præsertim, & ita si per luminis emissionem visio compleretur, quandoque non videre contingeret, & eò maximè quia radii non tantæ magnitudinis sunt, ut adeò dilatari possint, quod tot & tantas rerum differentias ambiant, & temporis momento comprehendant. Quia cum omnis actio & passio per con-

contactum fiat, radii visuales visibilia remotissima, ut cœlum & astra pertingere non possent. Reliquis quoque sensibus ejusmodi sentiendi modus repugnaret, quippe qui species suscipiendo & non aliquid à se foras emittendo actionem exercent, quod quidem si ita fieret, ob tantum radiorum exitum videndi actio debilitaretur, quia cum sentiendi virtus in calore servetur, si utique tot radii ex oculis egrederentur, videndi potestas frigida evaderet, & sic videndi vires amitteret, veluti Alex. contra Platonem, Aristotelem exponens ostendit. Cæterùm fac radios ex oculis egredi, quis eos ad rem visam comitabitur? Num rationioparticipes sunt? Et si ad rem visam pertingunt, quî visas species ad oculos referre possunt? Quæ quidem colorum species externæ lucis auxilio satis se diffundere, omni alio adminiculo remoto, possunt. Nec obstat, quod Alexandro M. adscribunt, qui noctu non secus atque interdiu videbat. Falsum siquidem *Varius lib. 2. cap. 9.* de fascino arbitratur. Ast ego dico unicum exemplum non constituere regulam, nec exemplis judicatur, ut est vulgare illud in jure nostro. Præterea non mirandum naturam in Domitore mundi, Monarcha Dio peculiare quidpiam ostendere voluisse, quod reliquis communem servans modum denegat, ut & historici tradunt redolen-

dolentem ultra modum odorem naturam ipsi tribuisse, *Lemnius de occult. nat. mirac.* Nec obstat illud, quod de fele, qui & nocte videt, refertur & certum est, quia non ex proprietatibus, brutis inditis, hominis proprietatem indagare debemus, cum ab eorum natura maxime distet, & major differentia quam convenientia in ipsis reperiatur. Nec adversatur denique quod de Basiliſco circumferrur, quod virulentis radiis ex oculis emissis quoscunque intuetur, interficiat. Veritati haud consonum est, tale animal reperiri, & juxta vulgi opinionem Philosophi de eo locuti sunt, & corruit hæc assertio ex se ipsa. Dicunt namque si se ipsum in aqua vel speculo intueatur, illicò emori: quod quo pacto verum esse possit, non video, tum quia si id admitteretur, exitiosi Basiliſco non forent, cum ei venenum congenitum contiſere familiare esse dicatur: argumento partus in utero matris, sanguine illo menstruo venenoso qui alitur & nutritur. Argumentum insuper evidens subministrat Mithridates ille rex, qui adeò infectus veneno, veneno sese necare haud potuit, &c. Nec quia sacræ litteræ de Basiliſco mentionem faciunt, illum reperiri inferendum est, ipsum enim pro Dæmone sacri Doctores accipiunt. *Marcus Attilius Serranus tamen de septem Eccleſiis urbis Romæ, cap. de Eccleſia Beatæ Mariæ Majo-*

ris,

vii. pag. mihi 102. eo in loco Basilicum olim habitaisse refert, quo benivolum lectorem selego. Quod ulterius de Gallis, qui per oculos leonibus fortissimis animalibus dolorem incutiunt, adfert *Lucretius*, nihil magis movet; scimus siquidem inter bruta animalia consensum & dissensum esse, de Gallo tamen singularem rationem Cornelius Agrippa adfert, de occultis Philosophorum libr. 1. cap. 68. quia res quæ superiorem alicujus stellæ obtinent gradum, ligant vel attrahunt vel impediunt res quæ tenent inferiorem, prout inter se conveniunt vel disconveniunt. Hinc timetur Gallus à Leone, quoniam præsentia solaris virtutis convenit Gallo magis quam Leoni. Sed ex his hominis proprietatem longè diversam arguere non possumus, cum major dissimilitudo inter hæc quam similitudo inveniatur ut supra dictum. Nec adversatur ultimò de lupis voce privantibus, quem viderint, ni ipsi antea videantur, quod & Virgilius sequitur, cum cum dixit: *Lupi Mœrim videre priores.* Quia fieri potest ut lupum ex improviso aspicientibus, ob micantium & terribilium illius oculorum aspectum maximus timor incutiatur, & quia ex timore frigus oritur, & ex frigore artuum impedimentum, & totius ferè corporis immutatio nascitur, hinc fieri potest, ut vocis quoque emissio impediatur.

diatur. Poterit & alio ratio afferri, cum lupus fiet animal inimicum & insidiosum tum reliquis animalibus, tum hominibus, seque adeo ingurgitare soleat ac putridis cibis ventrem implere, ut nunquam non ex illius naribus ac ore pernitiosus halitus egrediatur, qui quidem halitus aërem divinum illud speculum paulatim, gradatimque inficit, quousque homines lupum aspicientes contingat, & hoc modo eis vocem eripit, quam etiam rationem CORNELIUS AGRIPPA adfert in loco quodam, ubi disputat quare prætereuntes locum noxiis, & de quibus sumtum est supplicium, hominibus destinatum, aut ubi aliqua cædes pugnave commissa fuerit, sibi timeant, & verè occultæ Philosophiæ occultà ratio est, *libr.* 1. *c.* 6. quia aër ibidem plenus horribilibus homicidii speciebus, spiritum hominis, dum una inspiratur, similibus speciebus afficit, atque perturbat, unde contingit sequi pavorem, omne namque subitò imprimens naturam stupefacit. Visionis modo sufficienter, ut mihi videtur, excusso, supereſt, ut matrem eam Amoris constituamus, indutamque vario colore habitam in scenam producamus. Habitum autem istum primò ex sacris foliis connectemus. Deus siquidem opt. maxim. cum Mundum crearet, ejusque opera ad singulorum perfectionem perspexit, ut textus

tus habet: *Et vidit Deus, quod esset bonum*, non quod ante visionem non fuerint bona, sed ut ostenderet Deus, omnia prius videnda esse, ante quam judicium, sive sententia de iis feratur. Placitum igitur Dei & Amor erga sua opera ex visione illa probativa oriebatur. *Filii Dei intuebantur filias hominum & videbant, quod essent pulchræ, Gen.* 6. Amor ille filiorum Dei erga hominum filias ex intuitu & aspectu oriebatur. Dixit Deus: *Descendam, & videbo.* & dicit Psalm. *Respexit Deus ad filios hominum de cœlo inmuens*, sicut placitum & Amor ex visione oriantur, ita & displacitum & odium ex visione rei oriri, Virgil. canit:

Malo me Galathea petit lasciva puella.
Et fugit ad Salices, & se cupit ante Videri.

Clamat Ovidius insignis amator:

Cur aliquid Vidi? *cur noxia* Lumina *feci?*
Vt, vidi, *ut* perii.

Virgil. 3. Georg.

Vritque videndo Fœmina.

Sic David cum in domus regiæ solario deambularet, & Bethsabæam Uriæ uxorem videret, amore ejus captus, *Regum 2. capite undecimo*:. Item: Ammon David filius, cum sororem suam speciosissimam Thamar nomine conspiceret, adamare cepit eamque vi oppressit, *eodem libro, cap.* 13. Amor ille ingens

inter

inter Euryalum Francicum equitem & Lucretiam Italam fœminam ex aspectu & intuitu ortus est, ut amanter illorum historiam *Æneas Sylvius postea Pontifex factus Pius II.* persecutus est. Amor ille Theodori erga Violantam Equitis Trapanensis in Sicilia filiam ex diutino aspectu natus est: ut Boccatius nobis refert.

Hisce Visionem matrem & causam Amoris satis constituisse videor, quamvis Virus prædicto loco mutuum amantium aspectum Amoris causam esse negat; non enim, inquit, amantis animum rei amatæ aspectus inficit, sed proprius Amor, ne dicam, insania, cum unusquisque suæ ægritudinis & erroris causa sit. Hactenus Vairus: ast loquitur ipse de oculorum Fascino, quorum spiritu amorem conciliari negat. Sed si penitius consideremus amorem, perspiciemus ipsum, ante visionem rei amatæ nullum nihilque esse, quomodo enim quid amem, quod non viderim. Unde clamat ille: *Cum sit tam pauper, quomodo cæcus amet?* Item, *Ignoti nulla cupido.* Item, *Lontan de l'occhio, Lontan del cuore.* Procul ab oculis procul est à corde remotus. Quod igitur Vairus amorem non ad intuitum, sed ad animi turpitudinem referendum censet, rectius de insano amore & hereos qui dicitur, quam de veri amoris initio & prima linea accipiendum erit, totus namque in

eo

eo est, ut defendat intuitum & aspectum nihil facere ad inferendum alicui aliquid, nec ego visum, tanquam perfectionem & complementum Amoris constituo, sed tanquam primam lineam, primum punctum, initiumque ejus, utpote, quod medium & finis subsequuntur. Quod enim amans non illius amorem, quam amat, sed formæ tantum imaginem & simulacrum accipit, nihil impedit, amor siquidem ex parte illius, ex visu & aspectu originem sumsit, cui si non ex parte amatæ amor respondeat, reliquorum subsequentium denegatio impedimento erit, manente nihilominus amore firmo ex una parte. Nec movet objectio ejus, quod quam plurimi sient, qui seu videant, seu videantur, nunquam vesania amoris afficiuntur: quia ob id non excluditur Visus tanquam principium Amoris, poterit enim alia qualitas obesse, turpitudo vel animi vel corporis, quæ amoris viam intersecet, nihil igitur illa objectio tanquam exemplaris concludit, hocce enim dicimus; si quis amet, amare ex præcedenti causa, Visione videlicet, non vero sequi, hic videt, seu videtur, ergo necesse est ut amet. Nec movet illa objectio: Si spiritus ab amatæ oculis exeuntes quempiam afficiendi vim haberent, in cunctis hominibus eundem effectum parerent. Supra enim illam opinionem rejecimus, Respondemus

mus tamen non illico sequi eundem effectum in cunctis hominibus, ratio quia non omnes spiritus omnium hominum sunt consonantes, sed maximè dissonantes, quod igitur aliqua amata non ab omnibus amatur, sed minoris æstimatur. in causa est diversitas & dissonantia spirituum, differentia ingeniorum, discrepantia judiciorum, visus efficacia interea immanente, & diversitas illa ingeniorum & judiciorum facit, ut quis diligat deformem & turpem personam, suo tamen judicio pulcherrimam & speciosissimam. Unde dicitur: *Sua cuique sponsa placet.*

Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam,
Quisquis amat cervam, cervam putat esse Minervam.
Omnis amans cæcus, non est amor arbiter æquus.
Nam deforme pecus judicat esse decus.

Nec Juppiter omnibus placet, nec major in hominibus reperitur discrepantia quam in judiciis ferendis: unde *Teren. in Phorm. act. 2. sc. 4. Quot homines, tot sententiæ: Suus cuique mos.* Nihil siquidem adeo perfectum reperitur in orbe, in quo non aliqui aliquid resarciendum esse censent, aut addendum, minuendum, mutandum, corrigendumque putant: cujus generis homines omni tempore mundus

dus protulit. Visum igitur matrem & causam amoris constituimus, quem si reliqua accessoria, &c. sequantur. Amor perfectionem suam adipiscetur. Videtur autē graviter obstare exemplum illud Ioan. II. Moscor. Ducis, qui contra communem cum: *Aut Deus, aut lapis sit, qui non juveniliter ardet:* nullius fœminæ aspectu, aut intuitu ad ejus sexus amorem perduci quivit: visâ siquidem fœminâ adeò exhorruit, ut animi deliquio afficeretur. *Bodin.* Dico ut supra in Alexandro M, naturam singulare quidpiam in hoc Duce ostendere voluisse, vel in contemtum sexus fœminei, ne adeò sese extolleret, sed suam imperfectionem agnosceret, vel ipsum potius Ducem hocce beneficio divino, quo omnes aliæ gentes utuntur, fruuntur, singulari ex causa privare: Vel naturalis reddi poterit ratio ex mala matris tempore conceptionis imaginatione horrorem istum irrepsisse, sicut multi reperiuntur, qui natura abhorrent à cibis quibusdam, ut plurimi à caseo, à vino abstemii & invinii, aut aspectu quorundam animalium, quorum plures vidisse memini, qui feles, mures, ranas, serpentes, &c. ferre nequierunt, multò minus cum Italo comedere. Visum multarum rerum autorem esse satis novit David, dum petit: *Domine averte oculos meos, ne videant vanitatem mundi:* pleræque

ræque cantiones amatoriæ, quæ in hac materia probationis loco ritè allegari & citari possunt, utpote cum cuivis in sua arte credendum siet, juxta vulgata jura, *l. Septimo mense. ff. de stat. hom.* oculorum venustatem coloremque meminere: præcipuè tamen nigellorum; unde in Proverb. Nach braunen Kirschen steigt man hoch. Hæc eadem causa est, cum ex visu oriatur Amor, quod lucem oderint Dæmones, utpote inimici humani generis ut in *de natura Dæmonum lib. 3. fol. 115. Iohannes Laurentius Ananias* refert, eademque ex causa sancta Apostolica & Catholica Ecclesia à primitivo, quasi per manus tradito & accepto more luminum usum in hunc usque diem retinet, non quod sensu aut aliquo virtutis contactu, sed potius intellectu sibi adversari intelligant Dæmones, ut & eis accidit ad campanarum sonitum. Ex quibus quidem omnibus infinitam illius supernæ lucis unitatem, cujus latissimo aspectu & vitam & motum accipimus, satis agnoscunt ac percipiunt. Idem, *Anan. lib. 2. p. 43.* Ratio autem quare quis ab externa illa visione ita afficiatur & rapiatur in amorem alicujus, illa est meo judicio; cum imaginatio externa corpora pertingere & afficere valeat, idque eo magis cum imaginationi assensus, vel dissensus recedit, nam cordis spiritus ea, qua est qualitate affectus

ad

ad imaginationem defertur, qua quidem qualitate juxta imaginantis voluntatem & imperium inficitur aër & corrumpitur, à quo postea fascinatio contrahitur. Verùm spiritus imaginationi deserviens non secus ac rationale quoddam sidus in quaslibet res pro intense imaginantis voluntate radios salutares, vel pernicioſos diffundit, hac via vehementi desiderio imaginationi addito fascinans amorem, odium, valetudinem ægritudinem, vitam & interitum inferre potest. Hæc eadem ratio est, quare assidens meretrici quamvis castissimus, meretricia audacia inficiatur. Ipse enim spiritus meretricis pro sua innata qualitate aërem inficit, qui postea spiritui assidentis mistus ipsum eadem afficit qualitate, ut probat mysticè C. Agrippa *de occult. Phil. lib. 1. cap. 15.* Diutius hactenus de Visu matre Amoris disseruimus. Nunc ad filiam ut pateat aditus, pande portam Veneris puer. Aperta janua, liber accessus: Salve ô Deus, ô lupus populorum Amor. Elogium tuum audi. *Amor est desiderium pulchri, concupiscendi appetitus, concentus & unio. Vairus de Fascino lib. 1. c. 8.* ex quo discitur circa pulchritudinem Amorem versari: unde si res amata adsit, gaudium, si vero absit, desiderium nascitur. Verum non est prætermittendum dupliciter Amorem considerari posse, tam ut rem diligimus, eique propter se

& non alia de causa bonum concupiscimus, & hic absolutè *Amor* vocatur, quem nonnulli *Amorem Amicitiæ* dicunt, tum ut Amor amanti, vel alii est utilis & dilectabilis, & non rei amatæ, quem quidam *Amorem concupiscentiæ* vocitant. Cujus amoris causa ex objecti cognitione proficiscitur, nemo enim penitus ignotum amore ac benevolentia prosequi potest, cum amoris effectus, ut Aristoph. sentit, conjunctio quædam sit, qua ut eodem referente Aristoph. dixit: amantes unum fieri cuperent nisi alterius corruptio sequeretur. Meo judicio melius tripliciter Amor considerari videtur. Primo modo respectu rei amatæ tantum; altero respectu commodi & emolumenti amantis tantum; tertiò, respectu conjunctionis utriusque & amantis & rei amatæ. Arguat autem aliquis & censeat hanc Amoris delineationem ex eo, quod plures ament res pulchritudini planè contrarias & adversantes. Sciat id fieri ex pravo mentis ipsius conceptu & intellectu. Unde nec rectè Divitiarum secundum Philosophum Amor esse quit. Favore matris impetrato, Gratia filiæ obtenta, janua ad aditum liberum aperta, audaciores ad *Colloquium* transeamus. Quid Suada suggerat experiamur.

CAP.

Cap. II.

De Colloquio.

OMissis quæ multa inutiliter Doctores super continuatione capitulorum & Rubricarum effundunt, quæq, in hac materia sæpissime fallit, non enim omnibus, quibus *Visus* contingit, & ad *Colloquium* datur via: rectà ad colloquium nos conferemus. Est autem colloquium mutua amicorum, seu amantium inter se collatio, Græcè Ἀμφίλογοι, à Ἀμφιλογία, quod est differere, seu cum aliquo placidè conferre, artique Dialectices nomen dedit. Colloquium verò etiam inter ignotos quandoque intercedit, sed illud transitorium est, nullumque post se effectum relinquit: hic verò stricte secundum materiæ dispositionem intelligitur inter Amantes, ubi regulæ quædam Amanti, si ad Colloquium fortuna ipsi viam paravit, observandæ sunt:

1. Ut modum servet in colloquio, ne sit multiloquus, neque plus æquo mutus: ne in multiloquii aut garrulitatis crimen incurrat, aut Carpocrati similis æstimetur.

2. Habeat rationem verborum, ne usurpet aut effundat verba austera, amara, bellica, pugnacia, irata, bilosa, quæ quavis ra-

tione teneras amatæ aures offendere queant, ſed potius ſtudeat benevolentiam ipſius blandis, jucundis, bellis, mellifluis, dulcibus, gratioſis, non niſique ſuavitatem Amadiſiacam concentumque ſuaſorium redolentibus verbulis vocabulisque captare, obſcæna, quæque ruborem aut verecundiam eliciant amatæ, plane vitet, reſpuat & fugiat.

3. Habeat rationem ætatis, alius etenim modus eſt colloquendi cum juvencula minoreque annis, alius uſus eſt cum pubere matura nubilique conferendi virgine, alius itidem cum matrona vidua annoſa, &c.

4. Habeat rationem ſtatus: aliud ſiquidem aliarumque rerum, verborumque erit colloquium cum ruſticana & plebana, aliud cum civitatenſi & urbana: aliud cum nobili, aliudque cum principiſſa; quæ ſingula pertractare longum nimis foret. Quæ vobis aliquando conducere poſſint, tantum perſequemur. Explicabimus igitur regulam primam.

Ne ſiet multiloquus Amans] Tempus enim inutiliter eo teritur, & in conſilijs fugiendum ſuadet Curtius, cum etiam prudentiſſimus ſtomachari ſoleat. [*ut exorditur Franc. Cretin. in conſ.* 11. *in pr.*] quamvis amantibus longiſſimum etiam tempus breviſſimum cenſeatur, & maximum crimen vitiumve multiloquium habetur. Parit etenim faſtidium auribus,

ribus, inducit oblivionem, ostendit vanitatem omni scientiæ, arguit simulacra, mendacia patefacit: unde in proverbium abijt: *Multiloquus mendax.* Qui multiloquio gaudet mendacia vix vitat. Si igitur contingat amanti adire suam amatam, præmissis salutatione, basijs osculisque pro more, &c. breviter suum desiderium exponat, ut & illa percipere queat, & ad responsionem facilior & promtior siet. Multiloquius enim secundum proverbium Hetruscum, dicitur *Solem vendere de mense Augusti, Neviz. in sylva nuptiar. libro primo, numero* 17. Brevitas siquidem perspicua & dilucida omni tempore meruit laudem, & apud rusticos. Neque tamen nimis mutus aut tacitus siet, ac si non haberet os. Cornelium siquidem in scænam producit, mærorem melancholiamque infligit, seque nimis odiosum minusque amatum reddit. Taciturnitatis nimiæ & Carpocraticæ crimen incurrit, superbiæ æmulus habetur, Truncus æstimatur, gaudium abest, lætitia fugit, mæror adest, melancholia accedit, tristitia appropinquat, amoremque jam pridem natum suffocant, extinguuntque. Silentium omni tempore culpatum fuit, secũque multas attulit pœnas: quid, quæso, Amyclas perdidit? Silentium. Quid Pontiani Imp. filium ad crucem toties abire jussit? Silentium, ut nobis tradit historia 7. sapientum.

Quid Timonem apud Luc. odiosum hominibus reddidit? Silentium. Quid Eremitas Chartusienses in claustra eremosque mittit & ablegat? Silentium. Quid multis mortem infert? Silentium. Et scribitur *Is. 6. Vch mihi! quia tacui.* Reis tamen in tortura tacuisse quandoque prodest. Amator igitur cui Suada adeo haud favet ut ipsi abundantia suggerat, si non siet facundus Ulysses, primò domi & antequam accedat amatam ad *Colloquium*, sese præparet, historias, litteras etiam amatorias legat, ut legationis suæ munus rite quoque exequi possit, sufficientem autem copiam præbent historiæ *de Amadiso*, *Æneas muliebris*, *de Euryalo & Lucretia*, *Melusina*, *Magellona*, *Petrus Claviger*, *Eques Pontus*, *Eques Galmi*, *Cæsar Octavianus*, *Ovidius princeps amatorum*, *Libellus Cautionum amator*, *Aulicus Castiglionis*, *Centum Novellæ Bocatii*, & si quæ sunt alia. *Terentius*, *Horatius*, *Catullus*, *&c.* Sicce paratus animosior accedet suam amatam, vitiumque illud probè declinabit, quod multis contigit, qui ex improviso ad suas dilectas non probè instructi advenientes huc usque suas ineptias produxere.

Ad secundæ enucleationem regulæ accedamus: *Habeat rationem verborum:* Verba siquidem ligant homines, Taurorum cornua funes, verba gratiam pariunt & conciliant, verbis quid velimus, exponimus: verbis ostendi-

oſtenditur erranti via. Non autem quælibet verba gratiam inveniunt, auſtera ſiquidem & amara auſterum indicant animum & amorem; bellica, pugnacia, biloſa, irata hominem oſtendunt bellicum, pugnacem, biloſum, iratum, amorique minus idoneum, animumque amatæ planè avertunt & diverſum reddunt ab amante: inde eſt:

Eſt amor ingratus, cum non ſit amatus amator.

Exemplum refert ſupradictus Aulicus ni nil niſi arma bellica, pugnas, certamide quodam duce belli, qui aſſidens virgina, conflictus recenſebat, ipſam penè in ſcenam militarem inducens, quorum recenſitione illa adeo abhorruit, non ſecus ac ſi inter ipſos clypeos, galeaſque inſonantes ſuccumberet. Obſcæna itidem verba, quibus hodie nonnulli ex profeſſo ſtudent, ex libris iſtis obſcænis & prohibitis, ut ſunt: *Ioci Bebelii, Epiſtolæ obſcurorum virorum, Grobianus, Marcolphus, Hortus Veneris*, & ſi quæ ſunt alia, obſcænum indicant animum, hominem arguunt obſcænum, qualibus enim quis utitur verbis, reipſa cenſetur, *Ex abundantia cordis os loquitur.* Vanus enim ſermo vanæ conſcientiæ index eſt: mores hominum linguæ pandit, ſecundum Hugonem de S. Victore, & qualis ſermo panditur, talis animus approbatur: tum Seneca. *Imago*

animi sermo est. Qualis vir, talis oratio, & pudor, qui præcipue ex facie virginis elucere & splendere debet: major siquidē castitas in sexu fœmineo quam masculino à jure nostro postulatur, obscœnis illis verbis illibatus haud permanet, & præcipitur in sexto præcepto decalogi, ut castè & pudicè vivamus in verbis ac operibus *& in ll.* 12. *Tab.* à Romulo institutis tale argumentum erat: *Ne quis præsentibus fœminis obscœna verba facito.* Blanda autem verba blandum corpus & hominem præ se ferunt, melliflua saporem reddunt, gratiosa gratiosum ipsum faciunt, dulcisque musti redolent humorem. Colloquiumque placidum amabile, repetibile concupiscibileque reddunt. Ea autem ex supradictis autoribus ad primam regulam addiscuntur.

Possunt & aliæ laudes & elogia sumi vel ab internis dotibus, à pietate, à pudicitia, castitate, &c. ab externis, Venustate, Formæ speciositate, à capillis, fronte, oculis, labiis, suffusis rubore genis, gracilitate corporis, habitu, gressu: quarum plenæ sunt cantiones illæ in honorem amatatum contextæ, abundantemque quoque sexus fœminei laudem præbet *Cornelius Agrippa in orat. sua de præexcellentia sexus fœmin.* ast nimis in ea extollere videtur, quam aliquando refutabimus & ad suos limites coërcebimus. Scriptura quoque collo-

colloquii continetur appellatione. Certum eſt inprimis matrimonia, contractus emtionis & venditionis, &c. conſenſu & pactis, quæ ſunt duorum vel plurium, in idem placitum fieri & conſtitui, ille autem conſenſus non verbis tantum inter præſentes, ſed & ſcriptis inter abſentes exprimitur & præſtatur, unde eſt, quod non minus ſponſalia & matrimonia inter abſentes per epiſtolam aut procuratorem, vel nuncium celebrari poſſint ac inter præſentes, quemadmodum pleriq; principes longè diſſiti ac remoti obſervare ſolent: calamo igitur quod pingitur, eodem quo quid verbis dicitur, valore ſervatur & tenetur, unde illud: *Littera ſcripta manet.* & majorem penè autoritatem litteræ poſtulant.

Verba ſiquidem prolata in ventum, fumumque abeunt, nec revocari queunt. quod ſcriptum eſt, ſcriptum eſt, & manet. Inſuper probatur, quia verba ſunt notæ & ſigna quibus alter alteri quicquid animo concepit, manifeſtat, quod idem ſcriptis fieri poteſt, & quidē dilucidius evendentiuſq; à quam plurimis. Tandem verba intentionem ſignificandi & efficiendi habent. Efficere namque poſſunt ut res unius in alterius poteſtatem transferatur dicto vel per contractum, vel per ſimplicem rei aſſignationem. Hoc eſt tuum, & illud meum, & ſimilia, illicò enim res tranſit in alienum Dominium, quoniam

Dominus de re sua sic facere constituerat: & postea idem verbis expressit Idem scripta perficiunt, & majori cum solennitate, tot enim adhibentur testes peculiares, observantur formæ & termini solennitatesque, scriptis conficiuntur testamenta, instrumenta, contractus, pacta dotalia ad perpetuam rei memoriam, ne deficiente persona contrahente & ipse contractus deficiat, oblivioneqne intercidat. Scriptis servata est nobis sacra pagina. Decalogus digitis Dei scriptus Mosi tradebatur. Et dicere est verbum commune tam ad prolocutionem quam scripturam: nam & Scriptura dicit in Evangelio: *ut impleretur Scriptura*, quæ dicit, & hoc patet *l. hac consultissima. C. de testam. inst. de pupill. substit. post princ.* & paria judicantur privilegium datum verbo seu vivæ vocis oraculo, & in scriptis concessum, ut *Clem. dudum. §. nos etenim. & ibi gl. in verb. verbo. quam sequuntur Dom. & Phil. Francus de sepult.* & tenet *Alex. cons. 33. & Phil. Corneus cons. 77. vol. 4.* & Ammonius scribit triplex orationis genus reperiri: in intellectu scil. in voce, & in scripto. Hisce satis propositum probatum puto. Non probatur tamen *Corasii 1. Miscell. cap. 24.* decisio, in casu illo. Num quum lex eum qui cum proscriptis sive Bannitis loquitur, punit, scribentem etiam ex justa causa contineat? in quo Corasius factum tan-

tantum, non quo modo attendendum esse vult. Rejecta à me *in cen.* 1. *q.* 6. Licite igitur Amator amare si sibi colloqui datum est, & scribere, manum calamo apponere, nuntium, epistolamque ad amatam mittere conceditur. Sume igitur tibi, qui scribis materiam æquam.

Ad Tertiam transeamus regulam. *Habeat rationem Ætatis.* Sapientia enim ut est vulgare, non venit ante annos *Iob c.* 12. nec innascitur homini sed dediscitur usu & praxi, minores igitur ea destituuntur, pueriq; puerilia tractant, quælibet enim ætas suum habet complementum, augmentum & qualitates proprias, mutationesque diserentas. Sic prima mutatio in masculo fit anno 7. in fœmina 6. altera in masculo anno 14. in fœmina 12. eo enim censentur puberes, cujus rationem, quare citius pubescant fœminæ quam masculi, reddit Gl. hanc. *Quod mala herba citò crescit.* Alia. *Quod facilius fit pati quam agere.* Alia. *Quod citò fit citò perit.* Veriorem *Borch. & Dd. Inst. de nupt.* Si igitur contingat amatori cum minore 7. annorum colloqui, (nam sponsalia cum ea contrahi, possunt, ex jure nostro, matrimonium tamen sive nuptiæ usque ad annos pubertatis differendæ sunt.) de cunabulis, cunis, puppisque sermonem instituat, altiora linquat. Pubes si facta fuerit, puppasque reiciat,

querit, de amore, habitu, coloreque vestium, & quicquid ea ætas amat, proferat; choreas, saltationes, nuptias, festivaque alia enarret, &c. somnia ex amore provenientia enumeret, ludos jocosos instituat, alea cum ipsa, non tamen discalceatus, chartis, scaccho, &c. ludat. & si qui sunt alii ludi, quos recensent innumeros Gargantua. Ænigmata jucunda proponat, quorum libelli pleni hinc inde prostant.

Cum matrona vidua, relictis illis levibus, cum ea antea virili submissa fuerit jugo, honesta erit sermocinatio, planè œconomica & domestica, de regimine domus, gubernatione familiæ, educatione liberorum, quæ amatorem desiderii sui compotem reddet, potiundique ea facultatem præbebit. Non tamen facilè author alicui ero aut suasor viduam ducendi, præsertim si liberos ex priori matrimonio habeat, non quod ipsis non faveam, sed quia pleraque ea matrimonia plena sunt litium, jurgiorum & discordiarum, ut plusquam satis patet & manifestum est. Illa etenim nititur sceptrum domesticum ad se trahere, ensemque sua arripere manu, ut sexus ille muliebris natura sua imperandi libidine ardet, jure tamen nostro illis ademtum per salutarem illam legem *fœminæ. ff. de Reg. Iur.* Illa si quid non rectè ad nutum ipsius concesserit, murmurare incipit,

pit, allegans acta & mores prioris mariti, ac si esset alter assititius, objicit ipsi extrema, quæ miser iste comedere & concoquere tenetur, miseram exhibens faciem, ac si quotidie *Miserere* oraret: aliis amicis, vicinisque suis præ pudore miseriam suam, passionem, durumque jugum conqueri explicareq; non audet. Quid miser ille faciet? Quid incipiet? Bona verba frustranea. Verba nihil efficiunt. Si putet unum ejicere dæmonem, decem alios deteriores assciscit. Gaudium habet nullum, nisi quod dicatur habere Mulierem. Si modo gaudium est *mulier mala herba, necessariumque malum.* Mulierem habet, de qua verè dicere potest: *Vxorem duxi, Libertatem vendidi. Me Hercle quid feci?* de tali verè & illud dici potest. *Negotium habere qui velit, uxorem aut navim sibi comparato:* in his enim semper aliquid resarciendum inveniet. Quid tandem aggredietur ille miser? Domi in pace qui vivere autumabat, nil nisi jurgia, litesque audire cogitur. Animum sumit Martis castra sequi: melius ducit unam horam subire malam, quam tot, tantisque cruciari angoribus. Offendit ipsum forte amicus in castris, facta cruce se signat. Quis tete hucce adegit? inquit. Quid mali impulit? Hicce te non quæsiviſſem, ne somniaſſem. Veritatem faretur coactus ille miles: Mea uxor. Hicce finis tragicus con-

jugii

jugii talis comice quod incipiebat, *Vnde Accur. not. ad leg. rem non novam. 12. C. de judic.* Bulgarum hic derisum fuisse à suis auditoribus, quod eum nocte viduam duxisset, mane consequente illam legem cepisset interpretari. Socrates tamen cum vellet nubere, mulierem litigiosissimam, quam invenire potuit, sibi matrimonio copulavit, quæ ipsum statim ut domum intraverat, jurgiis & contumeliis impetebat. Ipse autem ut patientissimus ad omnia tacebat. Cumque ab amicis interrogatus fuisset, cur tam inquietissimæ mulieri nupsisset. Resp. *Vt discerem in domo qualis esse debeam in foro.* Petr. de Lacepiera in oculo morali, de instruct. scolar. c. 11. male meo judicio. Quæres autem, cur hic de matrimonio, & copula disseruerim? cum tamen Tractatus de Amore tantum soluto agere præmittat. Faciam tibi satis. Quia viduæ utpote expertæ jugum illud matrimonii, lasciviores sunt virginibus quæ nunquam suavitatem illam gustarunt, sicque memores priorum diutius se circumduci haud patiuntur, sed omnem impendunt operam, ut si quis sese offerat, suaque ipse officia deferat, ac polliceatur, eum laqueis suis capiant irretitum & ad matrimonium blanditiis, illecebrisque suis alliciant, ideoque pauca de matrimonio & natura viduæ adduxi, aliis admonitioni & utilitate fore putans.

Super-

Supereſt regula 4. *Habeat rationem ſtatus.* Prænotandum hicce, quatuor eſſe ſtatus hominum. Sunt Ruſtici, qui in villis, pagis viciſque degunt. Sunt cives, qui in civitatibus habitant. Sunt Nobiles, qui in caſtris & propugnaculis ſuperbiunt. Sunt Principes, qui in arcibus, regiiſque aulis ſplendentes habitant. Hiſce duobus poſterioribus ſepoſitis, Aulam enim nunquam ingreſſus, *Exeat aula, qui vult eſſe pius*; vive tibi quantumque potes, præluſtria vita, *ſævum præluſtri fulmen ab arce venit*, de duobus prioribus agere inſtitui. Tu qui ruſticus es ruſticè ama. *Sylveſtrem tenui muſam meditare in avena*: ad tuam Elyſam accedens amplectere illam novies.

Saluta ipſam ruſticè. Aurea fax, ad ſaltum illam vocans, ſiſte gradum: da ipſi ſignum digito: jube ſilveſtrem Muſam cantari. Ad genua poſitam ceu jaculum præmittes, finita chorea prima da ei bibere ex olla. Adhuc ſemel. Hoc tibi ſuadeo. Relinque ruſticis ſuos choros.

Ruſtica gens eſt optima flens, & peſſima rideus,
Vngentem pungit, pungentem ruſticus ungit.

Unde autem ruſtica illa ruditas & rudis ruſticitas in ruſticis ſiet, deducit Ovidius de Latona. Sufficiant hæcce, nil mihi negoci cum ipſis; de Civitatenſibus ſupereſt ut dica-

dicamus. Sciat amator civitatensis civiliter sese in conspectu amatæ suæ gerere, & applicare urbanè, civilia proferat verba, ut civilitatis studiosus morumque habeatur. Rusticos mores affectioneſque fugiat. Italicas, Hispanicas Gallicasque æmulationes in basiis, osculandis manibus, retrovertendis pedibus, in aulis principum amodo quæ vigent, tanquam ignorans intermittat, respuat, nobilibus aulæ relinquat, mage etenim civitatensi, dedecori quam honori sunt, quamvis id genus hodiernis moribus maximæ æmulentur puellæ civitatenses, dubiæ quo flectant, reflectantque modo manus. Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Diutur num nostrum colloquium ad Tabulam nos vocat. Ad Tabulam, ad Tabulam Amator. Mensa strata, edulia appositа, crateresque coronati. Tibicines & fiducines canunt: Sume aquam: Accumbe.

Cap. III.

De Convictu.

Victus appellatione quid contineatur, docet nos *ICtus Vlp. in leg. verbo Victus 43. cum seq. ff. de V. S.* ast convictus ex natura præpositionis inseparabilis *Con* significat communionem in victu, comestionem

sionem cum altero; natura etenim præpositionis *Con* est, ut augeat, jungatque, sicut videre est in omnibus verbis hacce præpositione incipientibus. Concordia dicta, quasi conjuncta duorum vel plurimum corda: confines, quasi conjuncti fines. Collatio, quasi cum alio latio. Colloquium quasi cum alio juncta loquela, &c. de quibus Lexica, Calepinus & Vulpellus. Ritè autem tertiò subjungitur loco Convictus: post habitum enim diuturnum Colloquium inter amicos hoc moris est, ut alter alterum ad Convictum invitet, eo siquidem amicitia, quæ jam incepit, confirmatur, crescit & augetur. Unde & Juppiter ξένιος, maximè ab eo laudatur, quod fuerit liberalis, susceperit hospites peregrinos, iisque amicitiæ symbolum ac tesseram communicarit. Et major familiaritas contrahitur in cibo quam in colloquio & facilius quis decipitur inter epulas, ut per *Ioh. Andr. in cap. inter omnes. 28. q. 1. gl. in l. dolum. Cod. de dolo. Marq. de Susan. tr. de judic. p. 1. c. 4. n. 20.* Ritè subjungi Convictum dixi. Sine Cerere enim & Baccho friget Venus, & ut Venus cantat:

Cum Cerere & Baccho meta vincta potentia magna est,
Absque his exiguam vim meus ignis habet.

Vinum enim cujus præsidium tutelamque gerit

gerit Bacchus, secundum communem omnium Medicorum sententiam calefacit & *cor hominis lætificat*, teste sacra pagina, ex illo calore & lætitia flammulæ Amoris incenduntur, pruritusque in animis amantium excitatur. Unde Bacchus:

Oblecto dulci mœrentia corda lyæo,
Oſor triſtitiæ lætitiæque dator.

Exemplo est Lothus, quem nimius vini potus ad illicitum filiarum suarum concubitum deduxit. Unde & præcipit Apostolus, *Ne inebriamini vino, in quo est luxuria.* Item, *Nox & amor, vinumque nihil moderabile suadent.* Plures enim Gula, quam Ensis perimit. Exemplo sunt 40. illi potatores, qui in certamine potandi ab Alex. M. instituto suam bibacitatem probantes interiere: exemplo est ille prælatus in monte Faliscorum, vulgo *Monte Fiascon* in Italia, ubi optimum vinum Muscatellum, quod vocant, sive *Est, Est*, nascitur, qui eo obrutus *vinosam vomuit media inter pocula vitam*, cui servus Epitaphium fecit, quod adhuc aliqua ex parte cernitur.

Propter Est, Est, *Dominus meus mortuus est.*

Addidi ego superioribus annis eundem perlustrans locum.

Si facit hoc Est, Est, *faciat mirere quid* Est.
Est *Id testatur prælatus luce privatus.* (Est.

Exem-

Exemplo est ille potator, cujus epitaphium in Italia quodam in loco legitur:

Vina dabant vitam, mortem mihi vina dedere,
Sobrius auroram cernere non potui.
Ossa merum sitiunt, vino consperge sepulcrum,
Et calice epoto chare viatur abi.

Venus itaque requirit vinum & dulcis mūsti humorem. Et *Venus in vinō, Ignis in igne furit*, nullo alio siquidem medio homines ad sese allicere mage potest, quod sentiens Lycurgus sapiens ille legislator omnes vites eradicari curavit. Turcæque plane ab usu abstinere vini dicuntur: unde memini me legere in Busbequio qui legationis munus nomine Imp. nostri in Turcia subiit, Turcam quendam cui vinum propinabatur, animam suam ut in abditum locum sederet, rogasse. Insuper majores nostri liberis ante 18. annum vini potum denegabant, & summa pœna fœminis Romanis usus ejus interdicebatur; unde Ignatius iste, qui uxorem suam cum vinum bibisset è dolio fuste interficiens, cædis à Romulo absolutus legitur. *Plin. lib. 14. cap. 13.* ex. l. à Romulo instituta. Si vinum biberit domi ut adulteram puniunto. Ad convictum nostrum pocula illa plena mero potatoribus bicongiis relinquentes redeamus. Tabula cibis onusta crateribusque coronatis, sumpta aqua benedicta, sacrataque mensa,

menſa, Amator ſuam amatam manu prahendat, locum ipſi primum aſſignet cum proteſtatione inſufficientiæ, quæ amodo uſitata plus æquo eſt.

Trinſchantis ſive præciſoris officium edoctus exerceat amator, excellenter in partes ſecare ſciat gallinas, anates anſereſque aviculaſq; & quicquid ſubminiſtrat coquus. In fruſtra ſectis primam particulam Amatæ, ut moris eſt in menſa fœmineo ſexui primum proponi, offer; ut latius attigi de virgine, de alis, jecore, de piſcibus, caput, &c. Paulo poſt & ad poculum manum adponat, dilectæ dilectum nomine dilecti propinat pocellum, inhoneſta illa vaſa & vitra turpes inſculpta figuras, turpes inſcripta verſus, menſa non agnoſcat. Demta fame primiſque menſis repoſtis, adferantur bellaria, virginum propria & exoptata, ut ſunt poma, pyra, nuces, *Caſtaneæ molles, & preſſi copia lactis*, ficus, mala punica, perſica, uvæ, amygdalæ, ceraſa, Saccharum, panis S. Marci confectum ſeu defectum, ut ille vocabat, omnis generis & coloris. Ultimò *Caſeus eſt nequam quia digerit omnia ſe quam. Caſeus abbreviat ſocium quem diligit uxor. Non Argus Largus non Magdalena, Mathuſalem. Non Habacuc, caſeus iſte bonus.* Præſtant autem caſei & in numero ſunt Parmenſis, Placentinus, & Laudenſis, qui ſummum tota Italia commendationis gradum obtinent, unde Com-

Commendant Parmam, lac, caſeus atque butyrum.

Thom. Edoüard. Angl. in deſcript. urb. Pal. Hollandicus, cruce ſignatus, in Germania celebres, & ſi qui ſunt alii cujuſvis nationis & regionis proprii. Caſei iſti Daventienſes, Limburgenſes, olidi illi cibarii viſides, illi procul à menſa tua abſint. Amator, habeas itidem notitiam an Amata tua caſeo veſcatur, plures etenim reperiuntur, qui natura abhorrent caſeum. Butyrum, mel, electuaria illa, ex ceraſis & pyris confecta adſint in promtu, de quibus omnibus amatæ ſuæ proponat amator, ipſius formam, pulchritudinem, ruborem roſeum à colore pomorum pyrorumque, &c. laudet. Saccharum quod reſtat marſupio ipſius commendet. Quia autem aliquando in convictu quis carpſit cibum, qui ipſi noxius fuerit, mortemque aut furorem pro amore inferat, aliquot quæſtiones non inutiles hic tractabimus: prima erit: *An cibi quibuſdam amor incitari queat?*] cujus affirmativam ut pote probabilem tuebimur: primum notum eſt cibos nutrire, & ſine iis hominem vivere vix poſſe. Quibus autem quis cibis utitur, eorundem alimentum & efficaciam ſibi aſſciſcit: ut videre eſt in ſylveſtribus & feris illis hominibus Indianis, trucibus illis Tartaris & Zingaris, qui radicibus ſylveſtribus veſcuntur: ſicque ſylve-

sylvestres, feri, truces, barbari & bruti reddantur & efficiuntur. Dicas autem cibos assumtos nutrire corpus tantum & non animum, cujus affectio est amor, sicque ex cibus nulla ejus conciliatio fieri potest. Faciam tibi satis. Cibos quidem corpora nutrire verum est; ast non tantum corpora, sed & animos; spiritus siquidem & odores ex cibis provenientes secundum suam innatam qualitatem qualificant hominis animum, ut vinum non tantum corpori prodest, sed & cor hominis animumque ejus lætificat; ut supra dictum, & barbaræ gentes non corporibus tantum, sed magis animorum affectione truces & feroces sunt, homo enim non tantum corpore constat, sed & anima. Ut autem corpus corporalibus & tangibilibus assumtis nutritur, & sustentatur cibis; ita anima incorporalibus & iis, quæ tangi haud queunt, spiritualibus alitur: ut eodem modo secundum proprias, & corpus & anima servetur. Caro autem in qua cupiditatum nostrarum radix existit, si ciborum multitudine & varietate pinguis reddita fuerit, sui amorem, luxuriæ, reliquorumque vitiorum impetus germinat. Et hoc in causa esse consuevit, ut mariti absq; Dei timore cum uxoribus misceantur, quod est contra Dei præceptū; quod Tobiæ filio per Angelum dedit ita dicens: *Cum acceperis uxorem, ingressus cubiculum per*

tres

tres dies continens esto ab ea: nihil aliud facies, nisi orationibus vacabis cum ea, & Jure Canon. præcipitur: quod tamen per incontinentiam, crapulam & ebrietatem prætermittitur. Unde tot conjugati, fascinati & veneficiis affecti reperiuntur: ideò per ciborum abstinentiam caro attenuanda est, ut ipsius impetus & affectus exiles ac debiles reddantur, animusque robustior ad certamina illa obeunda efficiatur. Nam secundum Apostolum: *Caro reluctatur spiritui*, & contra: & Dominus nos admonet: *Attendite*, inquit, *ne graventur corda vestra crapula & ebrietate*. Et esse cibos, qui ad libidinem homines stimulant, etiam Ethnici docuere. Unde Ovidius:

Nec minus erucas aptum est vitare salaces,
Et quicquid Veneri corpora nostra parat.

Qui enim salacibus cibis se implent, amorisque victores esse cupiunt, iis sunt similes, qui inermibus hostibus ad se confodiendum arma tradunt. Et ex herbis amatoria fieri communis Medicorum & Magorum schola tradit, & præcipue de frutice quodam Charioblepharon vocato, quem miscendis amatoriis efficacem esse scribunt. Item de Staphysano Plinius tradit, qui de Herba, quam centum capita vocant, sic inquit: *Radix ejus alterutrius sexus similitudinem referri rata inventu, sed*

ſed ſi virûs contigerit mas, amabiles fiunt, ob hoc & Phaonem Lesbium à Sappho dilectum tradit. Eandem vim Airorum herbam & Catanancen, Theſſalam herbam poſſidere arbitratur, nec ſecus de herba phyteuma ſentit. Sagittas præterea corpore eductas, ſi terram non attigerint, ſubjectas cubantibus amatorium eſſe Orpheus & Archelaus referente Plinio ſcribunt. Multa item ſunt quibus amatorium faſcinum procurari exiſtimamatur, ut mineralia, lapides, metalla, herbæ, plantæ, arbores, animalia: quæ ſingula enumerare ſtomachum potius facerent, quam fructum afferrent. Quid efficere potens ſit Diaſatyrion, itidem boleti cervini, zibetum manus inunctum: indagandum expertis relinquo, & ſunt piſcium ſive potius terræ excrementi genus quoddam. Itali capelongi vocant, capedonti, caparoli, Oſtreæ item Veneris irritamentum ſummum, ob idque etiam ſummè ab Italis Venereis amantur, & ſi quæ ſunt alia de quibus conſulantur Weckeri ſecreta. Laudatur ad id à Virgilio Hippomanes, probatur ultimo cum ſint maleficia ad odium concitandum, ut refert *Andreas Cæſalpinus in dæmon. inveſtigat. c. 5.* Sunt etiam ad amorem ex natura contrariorum. De cibo quod diximus & ad potionem referre poſſumus, unde quæſtio ſecunda erit:

An

An pocula amatoria sive philtra, aliquid ad amorẽ conciliandum potentię & efficacię habeant?] In qua & affirmativam tum rationibus, tum exemplis tenebimus: cibis enim non tantum sustentantur corpora nostra, sed & potionibus: mage siquidem transeunt & citius potiones, quam cibi, id quod medicorum exemplis probatur. Plures enim potiones medicinales quam electuaria, &c. ab iis ægrotis exhibentur, in quo tamen medendi genere Theophrastus & ejus assęclæ à Galeni schola digressi fuere, quintam essentiam sive animam & spiritum rei vaccinis illis potionibus Galenicis præferentes, quorum medicina etiam hodie in plerisque Principum aulis recepta viget & floret, & celebris in ea hodie est Georg. am Wald. Panaceæ autor. Quia Fascini amatorii causa duplex, ut refert *Vair. in lib.* 1. *de Fasc. c.* 8. altera ab internis principiis, altera ab externis oriens, de prima quædam præmittemus. Amor concupiscentiæ ex objecti cognitione proficiscitur; nemo enim rem penitus ignotam amore ac benevolentia prosequi potest: cum amoris effectus ut Aristoteles sentit, conjunctio quædam sit, qua ut eodem referente Aristophanes dixit, amantes unum fieri cuperent, nisi alterius corruptio sequeretur. Et quotiescunque amans in amore rem amatam sibi non respondere animadvertit, ad amatorium fascinum

confugit, quo sibi illam obsequentem reddat, quod quidem fascinum, si ab interna causa fiat, eam qualitatem habet quam fascinans in rem amatam remissè vel intensè jaculatus fuit. Atque hæc amoris ægritudo nihil aliud esse videtur quam ardens animi affectus atræ bili affinis & consimilis, quo animus ipse assidue agitatus, ob alicujus pulchritudinis imaginem atq; formam sibi semper obversantem flagrat. Amans igitur stimulis desiderii incensus usque adeo ardet, donec per fascinum votum consequatur. Hujus vero Amatorii fascini duplex qualitas assignari potest: altera ab internis principiis, altera ab externis promanans. Quæ ab internis principiis, ut fronte, imaginatione ac reliquis oritur, non illicò rem amatam pessundat. Sed tantum studet ut sibi in amore respondeat, quæ si pertinax perseverat, fascini tabes universum corporis habitum insidit, & primo ad maciem & pallorem, deinde ad varias ægritudines & morbos, demum ad interitum amans perducitur. Hoc amoris genere Phyllis Lycurgi Thracum regis filia infecta legitur, quæ cum Demophoontem Thesei filium à Trojana expeditione redeuntem & à rege hospitio exceptum deperiret, eo furore ac insania correpta est, quia illo frui nequiret, ut amoris impatientia post multas ægritudines laqueo vitam finierit.

Sic

Sic Iphis liberali facie puer cum Anaxaretem puellam incredibili amore prosequeretur, interiit. Sic Hæmon Thebanus cum Antigones Oedipi & Jocastæ filiæ amore contabesceret, ad ejus tumulum sibi mortem consciviit. Eodem mortis genere puella Sappho ex Lesbo insula vitam cum morte commutavit, Phaonis liberalis formæ adolescentis amore percita. Quam imitata Biblis Mileti filia ex Cyane Cauni fratris amore fascinata laqueo se suspendit, ut in *De arte amandi Ovid. refert.*

Biblida quid referam? vetito quæ fratris amore
Arsit & est laqueo fortiter ulta nefas.

Pyrami quoque & Thysbes necem eisdem fascini viribus nonnulli adscribunt. Sic etiam Galeacius Mantuanus, cui cum quædam puella quam deperibat per jocum imperabat, ut se in fluvium dejiceret, amatorio fascinorationis usu orbatus, eidem obtemperavit, seque vita privavit. Sic Timagoras, ut Cœlius est autor, præcipitem se dedit Miletis adolescentis Athenienſis jussu, cujus fascinantibus radiis infectus erat; nec secus Gidica Cominii Laurentini uxor vitæ finem dedit, dum Comminii privigni fascino contaminata esset, in quod mortis genus parum abfuit, quin Antiochus Seleuci regis filius

incideret, novercæ Stratonices infando amore correptus, sed pius pater filii vitæ amans, chariſſimam ſibi conjugem eidem filio cedere non dubitavit: quod in amorem incidiſſet fortunæ acceptum referens, quod uſq; ad mortem is diſſimularet, ipſius pudori imputans, eo planeque beſtiali faſcinata fuit faſcino. Laſciva illa Semiramis equum ad coïtum uſque adamaſſe dicitur. Julia noverca illa Antonini Imp. cui cum Imperator nudæ diceret: *Si liceret*, &c. illa, *ſi libet, licet, an neſcis Imp. eſſe legem ferre non accipere?* eodemque plane diabolico infecti fuere amore Nero ille impius Imperator, Cambyſes, Herodes, &c. quorum illi duo ſorores ſuas imprægnarunt & in uxores duxerunt, hic vero fratris ſui Philippi conjugem ad ſe rapuit, & incenſi ſunt præter omnes Nationes alias Itali, qui ſine ullo honeſtatis reſpectu & contra naturam in formoſos pueros ſuum amorem beſtialem, potius ſævitiam dixerim, ut etiam eſt Sodomitica ſævitia, dirigunt, quorum exempla quoque Florentiæ & in urbe Roma plurima vidi, & niſi oculis meis aſpexiſſem, credere renuiſſem. At ſi ab externis cauſis faſcinum inferatur, præter ea quæ ſupra in priori quæſtione diximus, graviſſima mala effaſcinandis nonnullis medicaminibus inferuntur. Quia autem in hac quæ de faſcinis, quæ per pocula fiunt, tractare propoſuimus.

ſumus, primò quibus modis ea fiant præmittemus. Dein exempla ſubjungemus. Ne autem cupidæ juventuti talia conficiendi pocula amatoria, utpote quæ dubia ſatis dubium ſæpiſſime ſortiuntur eventum, author ſim, ſicque ejuſdem criminis conſors & particeps ab aliis dicar, omittere ea, quam recenſere potius & honeſtius duco.

Habere autem ea maximam vim & potentiam & jura teſtantur noſtra *in l. ſi quis. §. abortionis. ff. de pœn.* ibi. Qui abortionis aut amatorium poculum dant, ſi eo mulier aut homo perierit, honeſtiores inſulam deportantor, viliores ultimo ſupplicio afficiuntor: quia eſt res mali exempli, quamvis non malo animo fecerint: in qua tamen *leg. Cujacius* putat adverſative poni vocabulum *Homo:* ſicque ex ea l. probare conatur Mulierem in jure noſtro non eſſe hominem, *Lud. Demontioſius de Pantheo. p. 5. verſ. nam in jure. Gallus Romæ hoſpes. Sed falſo: nam ex l. ſi verbum quis. ff. de V. S.* ſub appellatione Quis etiam continetur fœmina, & non adverſative ibi ponitur *Homo:* ſed relativè habito reſpectu ad diverſa pocula & Abortionis & Amatoria, illa enim mulieribus tantum, hæc vero tam fœminis, quam maſculis dantur. Igitur dicit lex: ſi eo ſcilicet poculo abortionis mulier, aut *Homo* ſcilicet poculo amatorio, ſive fœmina perierit, &c. aut alio modo: ſi eo ſcilicet

poculo Abortionis Mulier, aut Homo; i.e. infans in utero matris, formatus tamen (nam ante formam non dicitur Homo, &c.) perierit; hæc mea sententia de ista l. Testantur & historici Lucretium poëtam ejusmodi amatorio poculo infectum eò furoris raptum fuisse, ut manum sibi intulerit, de quo Politianus in Nutricia cantat:

Nec qui philtra libit nimioque insanus amore
Mox ferro occubuit, sic mentem amiserat omnem.

Lucullum quoque Imp. clariss. amatorio poculo propinato periisse testis est Plinius. Sic alii quam plurimi quorum nomina recensere nimis longum foret. Qua igitur de causa & quem ad finem pocula illa amatoria procurari contingat, satis notum esse atque à nobis monstratum arbitramur. Cum furore amoris nihil vehementius inveniatur §. *illud, in Auth. Quibus mod. nat. eff. leg. col. 6. & inst. de succeff. subl.* Non enim frater fratri dum furor ille venit, parcit. Igneus ille furor nescit habere modum, *ut dicit Gl. in d. §. illud. Et Aristoteles 7. Eth. 3. c. ait* iram & cupiditates Venereas cæteraque similia corpus etiam manifestè permutasse atque nonnullos in furorem & insaniam adegisse. Quid enim ipsimet Aristoteli evenit? Quid Salomoni, qui assiduitate & conversione mulierum adoravit idola & eis tem-

templum ædificavit 3. Reg. 11. &c. *Salomon.* 32. q. 4. & Eccl. 47. ideo ipse scripsit: *Vinum & mulieres faciunt apostatare sapientes.* Quid enim Appio Claudio ICto, qui amore virginis captus omne fas atque nefas miscuisse dicitur, l. 2. §. *initium. ff. de orig. jur. & Lucius Florus de gestis Rom. c.* 1. *tit. de seditio. vers. secundum in urbe decemviratum libido conflavit.* Ut autem nullus medicorum de morbo aliquo tractat, quin & amuletum sive remedium ad depellendum morbum subjiciat, sic & hic contra amatoria fascina, amuleta parare operæ petium duxi. Pulverem in quo se mula volutaverit, corpori insperſum mitigare amoris ardores Plinius refert. Cyrici fontem cupidinis inveniri ex quo potantes amorem deponant Mutianus existimat. In dextro ranæ latere quæ Rubeta vocatur, ossiculum inveniri ajunt quo amor inhibetur, chamæleontis jecinore amatoria dissolvi ex Democriti sententia traditur. Salutare contra amatoria fascina arbitratur Hortus sanitatis, florem S. Joannis, qui dicitur Vesperi natalis D. Joannis, decerptum & super lecto suspensum. Sed objicias res sensibiles non posse agere in spiritum? Tractat hanc materiam peroptime Hieron. Mengus in suo flagello dœmonum c. 3. allegans Ricard. de Media villa *quodlibet.* 3. *q.* 8. quod ersi herbæ armoniæ res corporales

non possint sua naturali virtute totaliter excludere vexationem, possunt tamen illam mitigare. Certum est autem quod herbæ armoniæ & multa alia sensibilia multum possunt immutare dispositionem corporis, & ex consequenti motum sensualitatis; hoc patet de herbis, cum quædam inclinent ad lætitiam, quædam verò ad tristitiam. Hoc etiam de Harmoniis dicitur: ut patet per Philosophum 8. Politic. ubi vult, quod diversæ harmoniæ habeant provocare diversas passiones in homine: hoc idem refert Boëtius in sua Musica, & auctor de ortu scientiarum, ubi loquens de utilitate Musices dicit, quod valeat ad curandum diversas infirmitates. Exemplum 1. *Reg.* 17. *& ibi Lyra. Tob.* 6. *Alexand. Papal. in sua epistola. Guido in sua Musica. Malleus malef. part.* 2. *q.* 2. *cap.* 5. Omitto, quæ de herba Ypericon, alias Fuga Dæmonum nuncupata; item ruta ab auctoribus perhibentur. Nonnulli amoris fascinum sic hebetandum censent: Visus est amovendus, ne oculorum acies cum aliorum oculis adjungatur: neve lumina cum luminibus copulentur; unde namque amoris pestis adsciscitur, illinc causam removendo remediū sumendū, hinc; *Lontan del occhio, lontan del cuore.* Qui procul ab oculis, procul est à corde remotus. Ideirco omnis consuetudo est removenda, otium tollendum. Ocia enim dant vitia.

Otia

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.
Quæritur, Ægystus qua re sit factus adultur?
In promtu causa est: desidiosus erat.

Gravioribus curis animus adhibendus. Res age, tutus eris. *Cui liber est cordi, liber amoris erit*, sanguis emittendus, omnia etiam excrementa per sudorem ejicienda sunt, mutationem loci, lecti & indumenti suadet Mengus cap. 7. in fin. Et quoniam rei amatæ imago & similitudo quæ noctes atque dies ob oculos nobis obversatur, nos effascinatos habet; ideo in graviorem aliam curam, magisque anxiam animus est distrahendus, quousque insidens illa mentis imaginatio ac fervor intepescat, quod Lucretius hisce versibus aperit;

Sed fugitare docet simulacra & pabula amoris,
Asterrere sibi atque alio convertere mentem,
Atque jacere amor collectum in corpora quæque.

Crates Thebanus de amore sic dixisse fertur. Amorem fame sedari, sin minus, tempore, quod si duo hæc minus suffecerint, ad laqueum est accedendum: ad quod poëta Ausonius respexit, cum de amantium amentia loqueretur. Simili quoque remedio Chaldæi in Justina Antonini Imp. filia & Marci Philosophi uxore utendum consuluerunt, ut si eam à gladiatoris amore quem deperibat liberare vellent, gladiatoris occisi sanguinem

bibendum traderent, & ſtatim cum viro ſuo concumberet, quo peracto illicò liberatam legimus: cujus Epitaphium recenſet N. *Chytr. in deliciis itiner. Anan. de nat. dæm. lib. 3. p. 97.* Sed quoniam de amore abolendo Cadmus Mileſius, Samocraticus Nigidius & Ovidius alijque ſcripſere, hac de cauſa præſenti ſermoni finem imponemus, nam ut nec amare, ſic nec amori remedium ſubminiſtrare ſcio, utrumq, alijs in amore mage verſatis, Veneriſque ſacerdotibus emeritis relinquens.

Quæſtio tertia erit: *Num ſufficienter amor ex convictu probetur?* In qua & affirmativa tutior erit, primò ob communem & naturalem illam hominum inter ſe conjunctionem *l. ut vim 3. ff. de juſt. & jur. argument. pr. Inſt. de jure n. g. & c. verb. hinc educatio.* Deinde nemo facile ignotum & peregrinum ad convictum admittit, propter ſuſpicionem periculorum & venenorum, quam multa exempla ſatis nobis aperuere: & ut hodie amicitia illa inter homines eſt omnes clamant. Non cuivis porrigas dextram, non prius quempiam agnoſcas amicum, niſi modium ſalis cum eo conſumſeris, quæ quamvis cautelas nobis ſurrogent, in eo tamen conveniunt, maximè amicitiam contrahi & conſervari convictu: ubi namque plures fiunt contractus, familiaritates, neceſſitudines, ubi mage conjunguntur homines, ubi plura conjunguntur ſponſalia,

salia, promissiones, stipulationes, emptiones, & venditiones, omnesque alij contractus & negocia nisi inter calices & pocula? Ibi enim ineuntur fraternitates, tuitates: bibitur ad sanitatem, poculum Reale, poculum Ioviale, poculum Latinum. Haustic& & sic amicitia poculis confirmatur, crescit & augetur; si quæ intercedunt inimicitiæ, conciliantur & tolluntur illæ poculis, & jus nostrum præsumit ex convictu & combibitione inimicitas esse remissas, contra jus igitur, utpote non falsam & fictam, sed veram Philosophiam profitens *l. 1. ff. de just. & jur.* non facilè præsumemus contrarium: ulterius omnes emtiones, venditiones, &c. pleræque poculis tanquam certissimo sigillo confirmantur & obsignantur, quibus satis amorem ex convictu probari posse puto. Nec obstat in contrarium præsumtio illa juris & *cap. litteras de probat.* Nudus cum nuda, quia loquitur, ad remo vendam malam suspicionem & factum illicitum, quod non præsumitur, nisi probetur, probatione & testificatione clarissima imo luce meridiana clariore. In hisce autem Terminis Amoris; utpote qui siet naturalis, licitus, probabilis, præsumtibilis & verosimilis credibilis, juxta illud; *Aut Deus, aut lapis est, qui non juveniliter ardet.* Convictus plane probat amorem,

& in d. c. ex litteris, non excluditur Amor à præsumtione illa juris, sed tantum facinus illud & illiciti istius facti præsumtio, cum quilibet bonus censeatur & pius donec contrarium probetur, & ex judicio Baldi & Dd. non habet quicquam mali conversatio illa spiritualium & monachorum cum fæmineo sexu cum præsumantur dicere Pater noster, seu potius ut ille vult, Soror nostra, quamvis in scholaribus secus statuat utpote luxuriosis, &c. ast utri magis peccent satis superque notum est, Monachis siquidem hodie nihil perversius nihil petulantius magisque plenum malitiæ esse *Coras. in miscell. lib. 3. c. 7. in fine* dicit. Nec Bald. D. Thomam Cantuariensem virum eximiæ sanctitatis excipere voluit *in c. 1. Vt lite pendente, &c.* quos tamen in loco 10. Cent. 1. salvavi. Amorem igitur satis ex convictu probari satis me probasse puto.

Occasione hac quæstio exurgit. *Num stipulationes & promissiones in ebrietate factæ teneant*] Affirmativam cum distinctione tamen opinionem tuebimur. Omne enim promissum cadit in debitum juxta vulgare, & omnia promissa juxta Ethnicorum [Ctorum & Theologorum communiores sententias quæ non vergunt in detrimentum animæ, sunt servanda, & pacta inquit prætor servabo: Nihilque tam congruum est humanæ fidei quàm pacta servare

servare l. 1. ff. de pact. Item, frangenti fidem fides frangatur eidem. Item, Ebrietas non excusat, & summæ esset levitatis & inconstantiæ signum promissum hesternum hodie retractare aut revocare juxta illud Terent. Modò ait modò negat. Hæc pro affirmativa sunt argumenta: distinctione tamen res fiet dilucidior. Aut promittens tanta fuit ebrietate obrutus ut usu rationis privatus censeretur, aut non, & aut sine causa nude simpliciter sine ulla qualitate quid promisit, aut secus. Priore casu cum ebrius & furiosus, &c. eo casu comparentur, promissionem illam facile revocare quit, cum nihil agere potuerit in ebrietate constitutus, itidem si sine causa quid promiserit, nihil urget: secus si cum causa, nemo enim facile præsumitur suum jactare, nemoque ita liberalis censetur, ut sine causa præcedente sua in alium transferre æstimetur.

Deinde & alia distinctio poterit adferri. Aut promissum illud est licitum & possible, nihilque nocens ipsi promissori, aut est illicitum, impossibile noxiumque. Priori casu bene tenet: posteriori verò non, dum quicquid Iuri nostro adversatur, & illicitum est, ab eo respuitur, & turpis rei promissio nulla est, & sup. adducta pro affirmativa argumenta loquuntur in promissis licitis & cum causa factis, quæ qualitas posterior in casu ebrietatis

etatis cessare præsumitur, ob mentis vino obrutæ errorem, & Theologorum & JCtorum sententia in eo casu intelligenda est: ubi quis quasi coactus, & ex justo metu aliquid promittit: eo casu limitant, si citra periculum animæ præstari possit, servandum esse, qui metus cum hic abfuisse præsumitur in promissione, nec ad debiti præstationem urgeri potest. Prætoris edictum legisque allegatus text. &c. in pactis quæ non oriuntur ex una tantum parte, sed sunt duorum vel plurium in idem placitum consensus, loquuntur, sicque semper pacta illa quæ ex utriusque partis consensu & animo non renuente fiunt, servanda humanæ fidei congruum esse ducunt: & illud, *Ebrietas non excusat*, in delictis illis locum habet, & procedit si non à Toto, ast benè à Tanto. *Summa Angelica in vocab. Ebrietas & l. omne delictum §. Qui se vers. per vinum lapsis & delinquentibus in ebrietate*, deminuenda est quidem pœna, &c. *ff. de re mil.* & illud modò ait modo negat, in tali casu ebrietatis inconstantiam minimè arguit, cum per vinum, &c. etiam sapientissimi piissimique lapsi fuerint, argumento Lothi & Noachi: & nemo inebriatus censetur Doctor. Quid enim non designat ebrietas? juxta Ovidium *aperta recludit. Nox & Amor Vinumque nihil moderabile suadent.* Et sunt tres qui sine ullo discrimine

vera

vera fatentur: *Ebrius & ſtultus neſcioluſque puer.* Et maximè hæc quæſtio controvertitur & practicatus in caſibus matrimonialibus, ubi tamen plerumque pro matrimonio ob favorem ejus & ut potius valeat actus quam pereat, reſpondetur. Admonendi igitur ſunt juvenes in conviviis puellis aſſidentes, ut animam ſuam à nimio vini potu innoxiam ſervent & cuſtodiant, linguamq; cohibeant, digitis compeſcant labella, ne quicquam cujus ex poſt facto pæniteat, & quidem ſero, ut ſapiunt Phryges, effutiant, ſtipulentur, promittantque, cui ſi locum dederint admonitioni, tuti erunt. Hactenus inter pocula viximus. Bacche, tua munere bibimus, crateres dulci lyæo plenos exhauſimus. Ad oſcula accede, audax amator.

CAP. IV.

De Oſculis.

REcte quarto loco ponuntur oſcula, ut enim ex Viſu ad Colloquium, à Colloquio ad Convictum, ſic à Convictu ad Oſcula pervenitur. Omiſſa autem hoc loco diſtinctione quam quidam faciunt inter Oſculum & Baſium, ut Oſculum officii ſit, ut cum è longinquo redeuntes ſalutamus atque oſculamur; Baſium pudicorum, ut patris

tris in filium. indifferenter pro ſubjecta materia capimus. Eſt autem Oſculum deminutivum ab ore, & dici poteſt quaſi oris ad os admotio, alio nomine Baſium. Et eſt antiquiſſimus mos oſculo ſeſe ſalutare, ut in canticis ſuis ſapientiſſimus iſte Rex Salomon ſæpiſſimè oſculorum facit mentionem & repetit. Oſculetur me oſculo oris ſui, & David in Pſalmo 2. *Oſculamini filium.* Oſculo autem ſumma amicitia & familiaritas innuitur, quid enim pretioſius homo homini porrigere poſſit oſculo? Cor ipſum tradere nequit, multò minus animam; Os igitur ori amici ſui admovet, ut ibi anima quæ dicitur una amicorum in duobus corporibus tanquam in confinibus & terminis territorii amicorum conveniat, juſque ſuum utrique tribuat, in alio ſiquidem commodiori loco conſiſtere haud poteſt, unde conſtipata cum tanto rubore lilia miſto inter genas oſculantium venit; non ſecus ut regina vario veſtita colore ad alteram accedit reginam, ibique habitaculum quærit: donec colloquio finito paulatim ad ſunm interius recedat: hæc myſtica & hieroglyphica ratio cauſam dedit oſculis. Inde apud omnes penè gentes in uſu fuere: id quod omnibus ſatis notum eſt ex falſo, fictitio & ex Diabolico corde proveniente Traditoris Judæ Iſcariotæ oſculo quod in proverbium abiit: Oſculum Judæ:

quan-

quando ex falso animo & simulata sanctitate aliquid agitur.

Apud Romanos satis testatur Ovidius passim in de arte amandi, de quibus inferius, ut adhuc in Italia inter masculos tam, quam fœminas mos ille viget: apud Germanos in multis locis usitatum vidi Coloniæ Agrip. Tubingæ, &c. ubi nefas grande creditur si juvenis ad puellam veniens ipsam non osculetur, & amplexetur: aſt in aliis locis contrarium obtinet: si enim quis apud nos in chorea puellam osculetur, indignata prorumperet. Quam me? &c. aſt in angulo & ubi nemo videt benè patiuntur, imò per totam noctam non semel ferre recusant: nam post factum osculum nihil reliqui manet, quod cernatur: tantum de abstersione agitur. *Quare autem oscula pedibus sive scandalis cruce insignitis Rom. Pontificis imprimantur, Scire desideratis?*] *Iosephus Stephanus, Episcopus Oriolanus in suo de osculatione pedum Rom. Pont.* duplex hujus rei caput esse refert. Alterum populorum reverentiam. Alterum Pontificum personam. Nam cum Pontifices omnes pop. communi voto ad suos pedes adorandos propensos agnoscerent, crucis Christi osculationem potius quam sibi ipsis tantum honorem deferri maluerunt, ut omnes Christianos benignè ad oscula pedum exciperent. Itaque ut expressam Christi imaginem

ginem referrent, & Salvatoris passionem in memoriam hominum redigerent, crucem sandalijs affixerunt, ut Christiani homines eos honores, quos debitos & necessarios Pontifici deferebant, cruce perfecta alacrius exhiberent. Meritò igitur Pontifex max. gentes quas ad ipsius pedes procumbere videbat, ad crucem Domini quam sandalijs impressit, osculandã traduxit: cum in totius Ecclesiæ more, teste Nicephoro lib. 17. c. 15. sit positum, non solum crucem venerationis causa osculis petere, sed etiam Christi & sanctorum imagines capitibus & faciebus admovere, ut refert *Zonar. Tom. 3. in vita Theophili hũ verbũ.* Assumebat sacras imagines colendas & adorandas, & capitibus & faciebus admovebat. Sed ex altero capite Rom. Pontifices expressam apostolici muneris imaginem prætulerunt. Qui cum docendi universum orbem curam acceperint & Evangelizandi potestatem, pedum quoque pulcritudine ornati sunt, ad pacem & Evangelium deferẽdũ, ut mundi & perfecti crucis virtute in toto orbe decurrerent. Quam pulcri, ait Esaias, pedes Evangelisantium pacem, Evangelizantium bona! Miratur propheta in quas terras Evangelij præcones abierint, quam ornatis pedibus incesserint, quos Christus sua virtute abluisset, quanta lætitia perfusæ gentes ad quas Apostolici viri talibus ornamentis

tis insignes accesserant. Ut non solum illæ gratiam in nuncio atque Evangelio esse arbitrarentur, verum etiã totos pulchros & speciosos agnoscerent ad quorum usque pedes Spiritus sancti virtus, crucisque gratia decurrisset, & ut muneris majestatem & pedum decorem ostenderent, & se ad Evangelij prædicationem expeditos & promtos indicarẽt, crucem calceamentis addiderunt, ut non à prophanis rebus pedum pulchritudinem aucupari, sed ex ipsomet officio & munere cultum & ornatum colligere viderentur.

Præterea omnium Christianorum fronti & pectori † Christi infigitur, ne fidem erubescerent, ut ait Augustinus Psalmo trigesimo: sed superato Diabolo Trophæum in frontibus reportarent.

Romani vero Pontificis pedibus imprimitur, ut crucis virtute fulctus, gressus nostros in viam pacis ducat ac muniat, tutius super aspidem & Basiliscos ambulare queat, quod superbè satis adduxit *Alexander* III. quum Freder. Barbarossæ Imp. collo pedem imposuit, allegans. Super aspidem & Basiliscum ambulabis. Imp. replicabat. Non Tibi, sed Petro. Papa duplicabat. Et Mihi & Petro. Lapis magnus, rubeus, quadratus adhuc cernitur Venetijs in templo divi Marci ante principem portam inter angiporti ostia

ostia in quo hoc factum est, in quo *Caprignanus Bonon.* prædicatorii Ordinis in additamentis ad Itinerarium Nobiliorum Italiæ regionum auctore *Francisco Schotto*, æris quadratam laminam infixam, foliis vestitam asserit, in qua supradictæ litteræ: *Super aspidem*, &c. incisæ leguntur, sed falsò, nam summa indagatione exquisivi, solus lapis rubeus adest sine inscriptione, num verò antea abfuerit, negare nolo: nam in medio istius lapidis, alius lapis gilvi & albi coloris insertus: alia etiam allegantur ad osculationem Pontificis Romani.

Non dat Dominus Sanctorum pedes in commotionem. Servat Dom. pedes Sanctorum suorum, ut cecinit Anna 1. *Reg.* 2. Allegat *Augelonus Monachus libro* 1. *commentarior. in libros Regum*, illud *Deuter.* 33. Qui appropinquat pedibus ejus, accipit de doctrina ejus. Item, illud *Psal.* 67. Ut intingatur pes tuus in sanguine lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Qui mos usque adeò verus & firmus est habitus, ut nusquam Romanum Pontificem depictum aut marmore expressum, aut ære ductum videas, quin etiam præter insulam & sacerdotii ornamenta, crucem pedibus appictam cernas, ut plutes Bononiæ in Palatio, Romæ in Vaticano, ut & multorum Pontificum sandalia cruce insignita superioribus annis præsidente P. P. Clemente

mente VIII. vidisse memini. Ad nostra oscula amatoria redeuntibus offertur alia quæstio practicabilis.

Num per osculum alteri quam marito datum pudicitia uxoris illibata maneat?] In hac quæstione probè habenda est ratio personarum, personæ siquidem agnatæ, affines utpote, ob consanguinitatem & cognationem sanguinis à suspicione sunt immunes, ipse enim pudor naturalis & præsumtio juris eas excusat. Sed quid de Monachis? Excusat illos religio, religionisque votum, unde mulieribus, cum quibus nihil mali præsumitur, cohabitare possunt, ut cum matre, sorore, &c. arg. titul. de cohabitatione Clericorum. Sed si aliam in via sive alibi osculati fuerint, Benedictio illos excusat cum præsumantur dicere: Pater noster & Benedictionem. Sed à tali benedictione libera nos Domine, quid enim non perpetrant Monachi juxta illud:

Quicquid agit mundus, monachus vult esse secundus.
Non audet Stygius Pluto tentare quod audet
Effrænis monachus plenaque fraudis anus.

adeo ut nec Bald. divum Thomam Cantuariensem virum eximiæ sanctitatis excipere voluerit in *c. 1. Ut lite pendente.* Testatur satis Monachorum sanctimoniam factum illud Parisiense, de quo videatur consilium

Gobleri,

Gobleri, Sleid. Francus. Vide *Boër. deciſ. 72. in fin.* ubi refert exemplum de Abbate Fontis Gulielmi ordinis Ciſtercienſis Bazatenſ. Diœceſ. qui detinebat uxorem cujuſdam pauperis, & ei Abbati fuerat inhibitum, de amplius cum ea converſando ſub pœna, qui tamen contrarium fecit, fuit inſtante marito & procuratore regio in emendam condemnatus. Et ſimilis etiam fuit facta Iohanni de Taleram dicto de Crimault Epiſcopo Tricolenſi de non converſando cum quadam Suſanna de Rozieres, de qua erat notorie diffamatus, ex qua plures habuerat liberos: & hæc ſub certa pœna in Arreſto contenta lato die 13 Auguſti, Anno 1521. Et rector S. Simonis, ut refert ibidem Boërius, civitatis Burdegalis, detinebat quandam uxorem contra ejus mariti voluntatem, qui cum vicinis conquerebatur, & vicini dicebant propter malum ipſius exemplum fore ſcandalizatos, & erat plus quam notorium tam per ſententiam, quam rei evidentiam. Et cui non pateat nefandum & audax illud facinus, occiſio videlicet Henrici Tertii Valleſii Galliarum regis à Monacho ſuperioribus annis perpetrata; attentatum illud, ſed Dei beneficio averſum ſcelus Monachi in *Henricum Navarræum* Galliæ regem, quod expulſio Ieſuitarum ex eo regno, arreſtumque illud ubivis in Galliis affixum & co-

lumna

lumna erecta publicè huc usque demonstrat. Satis testatur factum illud Boconventi in Italia in Henricum septimum Imperatorem, cui Monachus in sacrata hostia pro corpore Christi venenum dedit. Quid multis? si à talibus criminibus immunes omnino non sunt Monachi, nec à crimine stupri & adulterii ego eos eximam, cum multi Pontifices spuriis & nothis id testatum reliquerint. Alexander Sextus, Paulus Secundus, &c. de quibus infra; & secundum Panormitanum, magis peccare censetur laicus fornicans, quam clericus adulterans, hac ratione, quod laicus alio remedio uti possit, quo clerico interdictum est.

Sed contrarium magis puto verum, eo ipso, quod clericus interdictum matrimonium sibi scit, & votum suum transgreditur, magis peccare videtur, primò ex transgressione & voti ruptione, secundò ex adulterio: in Laico enim simplex est fornicatio, in Clerico adulterium & voti transgressio. Oculus Moral. cap. 12. propr. 7. in pr. sicut enim ipsi antea liberum est votum facere, aut inire matrimonium, sic postea ex necessitate tenetur servare, aut nisi faciat, majus incurrit peccatum: hoc meum judicium salvo cujuscunque alterius melius sentientis. Sed *Abbas prout cum refert Flaminius Rubeus tract. de adult. c. 7.* non admodum adulteros

teros insectatur, quippe qui *in c. veniens. il primo. n. 5. de eo qui cogn. consang. uxor suæ.* non esse adulterium incæstu gravius tenet, & *in cap. at si clerici. §. in adultero. num. 3. de judic.* non esse aliis delictis gravius adulterium putat nisi ratione frequentiæ.

Sed quid de Scolaribus?] Eos à tali suspicione sinistra Baldus relevare non vult, cum regulariter sint luxurioſi: & firma pene argumenta facit, quod si sæpius scolares ad domum puellæ cujusdam eant, quod meretrix ea siet censenda: ulterius ibi arguit quod locator conductorem expellere domo nequeat, si meretricem in eam introducat, scire enim debet scolares esse luxurioſos, &c. Osculum igitur si intervenerit inter personas tales, illibata pudicitia haud videri potest.

Oscula enim inquit Ovid. *qui sumsit si non*
& cætera sumsit:
Hæc quoque quæ data sunt perdere dignus erat.

Innuens proximum præparatorium ad adulterium osculum esse. Et Antonius Venerius Dux 64. Veneriarum proprium filium Aloysium carceravit, quod invitæ mulieri osculum præripuisset, ut refert *Boss. tract. crimin. Iulius Ferrettus de re navali lib.* 12. addit quia cornua hirci posuerat in hostio domus mariti ipsius amasiæ, & juvenis mœstus mœrore & vere-

verecundia periit maximo cordis dolore. Videatur latius *Petrus Martellius in hiſt. princip. Ven.* Facilè igitur haud ſuaſerim oſcula ab alterius uxore ſumere niſi & verba plagasque expectare velit. Qua tamen pœna afficiendus ſiet oſculum rapiens virgini invitæ Sereniſſ. regem Federicum voluiſſe ſcire refert Afflict. deciſ. 276. & dicit duas eſſe opiniones: prima quod puniatur pœna capitis ſecundum *Bald. in l. ſi fugitivi C. de ſerv. fugit. allegans leg. ſi quis non dicam Cod. de Epiſcopis & cler. & hoc eſſe ſpeciale in hoc delicto*: quia attentavit pudicitiam ſecundum eum. Secunda opinio fuit quod pro iſto oſculo pœna ſit arbitraria, & hoc tenet *Gloſſa in leg. 1. in princip. de extraord. crimin. & Cyn. in dict. leg. ſi quis in 6. oppoſit. & in ſua diſtinct.* & idem dicit *Bald. ibi in ſua oppoſit.* dum dicit; quod ſi pervenit ad actum remotum, ut oſculum mitius puniatur, allegat dict Gl. *& Iac. Butr.* ita tenere. Hæc opinio fundatur ex text. *d. l. 1. de extraord. crim. ff. ibi*, & ſi effectus ſceleris potiri non poſſit propter voluntatem, pernitioſæ libidinis extra ordinẽ punitur, qui textus intelligitur ſecundum Gl. in eo qui pervenit ad colloquia & oſcula ſive baſia, & probatur ratione evidenti; nam per oſculum & amplexum ſolum non maculatur virginitas corporis neque mentis, ergo mitius arbitrariè

debet puniri, & in ista opinione videtur esse *Salic. in l. is qui cum telo C. de ficar. in sua dist. dum allegat l. 1. de extraord. crim. & Rap. Cumanus* consuluit, quod si virgo non est corrupta, licet eam violenter prostraverit in terram ut eam cognosceret carnaliter, quod non fecit, quia non potuit, non venit puniendus pœna mortis: & dicit Afflict. fuisse votatum, quod iste pròpter dictum osculum cum amplexu contra voluntatem mulieris acclamantis in strata publica puniatur ad pœnam relegationis à civitate Sarni ubi fuit factum dictum osculum, per 30. milliaria, & ad pœnam moderandam secundum ejus divitias & paupertatem. Et *Cæsar Vrsillus in addit. ibi* dicit, quod illa pœna intelligatur procedere de jure communi, secus intus civitatem Neapol. in qua si quis osculatus fuerit aliquam mulierem per c. regni quod incipit Rubert. punitur pœna mortis: refert hæc & sequitur *Grammat. consi. suo crimin.* 48. & concludit ista non procedere nisi solum in ipsa civitate, & non extendi seu ampliari in casibus, quod hodie est secus: nam per totum regnum & quamlibet partem ipsius per novellam pragmaticam editam sub die Maij 1562. pœna mortis statuta, & de osculo luxurioso, quod puniatur mulier acsi commisisset adulteriũ, *Decius in Rubr. de judiciis. colmn. 2. Sylva nupt. lib. 4. num. 77. fol. 138.*

Hæc

Hæc de oſculis alienis non conceſſis. Amatori autem, ſi contingant oſcula felici ſucceſſu, haud intermittet, quamvis enim amaſia ab initio præ pudore & verecundia dare renuat, accipere tamen non recuſabit, donec pudore diſcuſſo, ipſamet baſia arripiet & petet ultrò quod ante negabat. Quo autem modo ſuavia & baſia, quot vicibus, &c. fieri debeant, ipſemet cautus amator habita ratione temporis & loci ſciet. Omne enim nimium, ut eſt vulgare, vertitur in vitium. Et nimia familiaritas parit contemtum, *l. obſervand. ff. de ll.* Nonnunquam enim intermittat amator, quo fervidior & ardentior fiat amaſia. *In loco ſiquidem deſipere*, ut ait Terentius, *ſumma ſ. ſcientia eſt*, ſecundum tamen communiter in acceſſu & diſceſſu oſcula maxime fiunt, & dulciora ſunt prima ex parte ob abſentiam diuturnam & adventum gratum amatoris, ex altera ob diſceſſum, cum reditus dubius & anceps ſit. Intermedia illa, ſi quæ occurrunt tam grata non ſunt, ſed obiter prætereunt, tantumque efficaciæ non habent, cum Colloquio & ſermone interrumpantur, ſicque in fumum ſtatim abeant, illa autem quæ in diſceſſu obtingunt, longiorem memoriam & recordationem poſt ſeſe relinquunt. Vnde diſcedere fert dolorem, aſt redire gaudium. Ille igitur amatus amator non

omittat, ſed ſummo ſuſpirio mixto gaudio ſumat: ne quæ ſumere conceſſa fuere, perdere dignus cenſeatur, ſi non ſumſit.

Huc libet adjicere hiſtoriam de Oſculo quod Romæ pro vero annotavi: Erat quidam Imperator cujus uxor aulicum quendam amabat, quod cum Imperatori aperiretur, ipſa fraudis plena hoc aſtu Imperatorem decepit, ſeque ſalvavit: amatori ſuo aulico hoc conſilium dans, ut ſi ſe & ipſam morti, furorique Imperatoris eripere vellet, ſtulti habitum indutus in publica via ipſum oſcularetur & amplexaretur, quod factum tanquam à ſtulto non fuit reputatum: illa adulterii rea poſtulata ſeſe juramento purgavit, nullum alium præter Imperatorem & talem ſtultum ad oſcula admiſiſſe. Erat autem lapis *Bocca de la verità* dictus, in cujus os jurantes manus imponerent, ſi falſò jurarent, manus ipſis abſcindebatur: hæc & verum faſſa & ſe citra omnium opinionem liberans cauſa fuit, ut lapis ſuam poteſtatem & virtutem amitteret. Hodie adhuc cernitur in *Templo S. Mariæ in Cosmedita, à modo Schola Græca dicto.* Lapis eſt ingens, rotundus, faciem inſculptus. Judicium ſit penes Lectorem: tantum adduxi cum in oſculorum materia verſaremur: plura & forſan jucundiora quilibet amator ſibi ſomniet & in mentem revocet, ſi amodo iis privatus

tus fiet. Solent & ardentes amantes oſculari dona jocalia miſſa ab amaſia, ut ſunt annuli, bracchialia, vincula, litteræ, &c. ſed impropriè ea ſunt oſcula, nihilque proſunt; ego corporalia & oralia longè his anteferrem, ſed cui denegatur caro, brodio contentus eſſe tenetur. Oſculamini, Amplexamini amatores dum licet, exercete baſia, & fugientibus utimini donis: *veniet poſt triſtior ætas, nec bona tam ſequitur, quam bona prima fuit.*

CAP. V.

De Facto.

ULtimò tanquam concluſio & complementum Amoris & Epilogus Comœdiæ ponitur loco *Factum.* Quid autem *Factum* fiet in hac materia, omittere quam definire potius duco. Honeſtè autem ut deſcribatur, eſt Conjunctio illa amantium, maris videlicet & fœminæ, quam Jure Civili Matrimonium appellamus, *Inſtitut. de jur. n. g. & c. in principio. ibi* gloſſ. parva in verbo Conjugatio vult, quod textus debeat intelligi de conjunctione animorum, non corporum, ſed male loquitur, quia conjunctionis maris & fœminæ, de qua in d. text, capacia ſunt omnia animalia, etiam

bruta: si ergo intelligeretur de conjunctione animorum & non corporum, utique bruta ipsa cum animo & ratione careant, non essent capacia ipsiusque conjunctionis, & tamen littera vult, quod talis conjunctio ad omnia animalia virtute Juris naturalis referatur. Unde pro habenda notitia illorum verborum, qualiter debeant intelligi, supponendum, quod jus naturale dupliciter accipitur, uno modo quatenus ex mera sensualitate & appetitu causatur & provenit, alio modo quatenus procedit ex ratione, ut dicit *gl. in verb. Conjugatio* 1. *dist. in c.* Jus naturale. Unde dico, quod conjunctio maris & fœminæ quatenus procedit ex sensualitate, intelligitur corporum, non autem animorum, & istius conjunctionis omnia animalia sunt capacia; quatenus autem hujusmodi conjunctio procedit ex jure naturali, quod ratione consistit, debet intelligi scilicet Animorum, & tunc istius conjunctionis homines tantum capaces sunt: in dicto igitur textu debet intelligi conjunctio non tantum animorum sed & corporum, ita ut hæc conjunctio quatenus animorum est, ad homines referatur, quatenus est corporum, etiam ad bruta referatur, & ex hoc textu hoc modo intellecto notandum, quod unum verbum quando ad plura specie differentia refertur, æquivoce accipitur. concordat *l.* 2. *ff. de*

ff. de off. proconſ. Item not. ex hac Gloſſella, dum allegat text. *in l. Nuptias ff. de Reg. Iur.* quæ lex vult, quod conſenſus non autem concubitus faciat nuptias, ut intelligatur, quantum ad perfectionem, non autem quantum ad ſeparationem, quia ante concubitum nuptiæ ſunt ſeparabiles, eo autem interveniente ſunt inſeparabiles, concubitus ergo operatur individuitatem *c. ex publico. de converſ. conjug.* Hæc autem de facto matrimoniali dicta ſufficiant. Ad Factum extra matrimonium redeamus, quod magis corporum quàm animorum eſt, cum pauci amantium amaſias ſuas ducendi cauſa corrumpant: ſed potius ex illa diuturna converſatione in furorem quaſi adacti explendæ libidinis cauſa ad Factum plurimi etiam inviti trahantur. Ad matrimonium tamen acerrimè urgent Theologi, & in dubio caſu pro matrimonio reſpondetur, ejus favore obid etiam liberi per ſubſequens matrimonium legitimantur, & legitimi non minus ac illi in matrimonio nati habentur, eo forſan reſpectu, ut & perſona dehoneſtata remedium habeat, minuſque ipſi objiciatur lapſus, ut & agens facilius ad nuptias tranſeat, manentibus ſiquidem liberis illegitimis libentius quis aliquando maneret ſolus, quam tali conjugio ſociari cæteris paribus, &c.

Factum igitur, ut ex præcedentibus patet, aliud est licitum, aliud illicitum. Factum licitum est cum conjuge propria, solennitatibus adhibitis ducta, debito tempore, loco, vase, & modo.

Cum conjuge propria] Quia accessio ad alienam adulterium est. Unde Amor nimius in propriam uxorem omnis est in alienam turpis. Et præcipit Apostolus *propter fornicationem quilibet habeat propriam uxorem, &c,* & inter tria placabilia Dei refertur, Amor conjugum. Augustinus tamen SS. præsentiam in actu matrimoniali negat, quomodo igitur illi duo conciliantur? Hoc modo, cum unius rei duo vel plures possint esse fines, & matrimonii plures sunt fines, principalis intentio prolis, minusque principales, vitandi fornicationem ducere aliquam ob pulchritudinem vel ob divitias, &c. ille igitur principalis nempe generatio prolis semper præcedere debet, ab eoque denominationem actus habere, quamvis reliqui etiam tanquam minus principales interveniant, nam & dicit Deus: *crescite & multiplicamini, & replete terram.* Augustinus igitur de voluptuario actu & non de principali intentione, intelligendus erit.

Num verò peccet minus principalem intendens?] quæri hic posset. Negatur, quia magis ille principalis semper in intentione præ-

præsumitur, & contingeret absurdum in agente cum sterili, ubi principalem illum finem cessare constat; item in agente cum tali quæ jam concepit, intendendo alium supergignere, quamvis medici fœminæ quæ antehac non peperit, non constare dicant, an prægnans siet nec ne: sed falsò, nam facillime ex alteratione constitutionis percipere potest: & jus nostrum asserit stari testimonio mulieris se prægnantem dicentis, ut latius egi de virgine c. 3. si enim à coïtu frigus sentiat mulier, & dolores in renibus: si color in facie vehementer immutatus sit. & si novus aliquis appetitus extat, veluti terræ aut carbonum, indicium est eam concepisse. Lubet addere exemplum quod refert *Hieron. Pan. in lib. provinc. fol.* 37. narrans Epis. Ilerden. *in c. fraternit. de frig: & malef.* vidisse tempore suo hominem quendam, fuisse Cathaloniæ tantum in re venerea potentem, qualibet die uxorem suam 10. vicibus cognoscentem, quæ ad reginam Arragoniæ secreto conquesta fuit. Vocatus vir confessus est ita rem se habere, quare mandavit ei sub pœna capitis, ne amplius quam sexties in die uxorem suam cognosceret, ne mortis periculum mulier incurreret. Unde potentiam viri non tantum mirari oportet, quantum de querela uxoris; licet enim minus audeant fœminæ quam mares *l. quisquis C. ad l. Iust. Majest.* tamen in

turpibus obscæniſque atque venereis actibus ſunt audaciuſculæ, ut dicit ibi Cyn. allegans ibi Juvenal. Satyr. 6.

Fortem animum præſtant rebus quas turpiter audent. & rurſum. *Nihil eſt audacius illis*

Deprehenſis: iram atqae animos à crimine ſumunt.

Cum facilius hoc faceret mulier præſumtione juris quam donaret *l. ſed ſi ego ff. ad Vellei*, quia de ſuo corpore larga & in donis parca, imò avariſſima: potius enim corporis quam donorum prodiga, ut notant Doctores inſuper *Barba. in l. is cui. ff. de verbor. obligat.*

Sed quid de frigido ſive maleficato?]

Poſſitnè ad actum procedere, cum ſciat finem illum principalem in ſe deficere? Reſp. quod ſic: cum ſiet præſumtio tollendæ iſtius frigiditatis & maleficii; ſemper igitur intentio actus principalis excuſat, *Andr. Cæſalp. in Inveſtigat. dæm. c. 5. Anan. lib. 4. pag. 208.* De modo ungendi maleficiatos in matrimonio tractat *Hier. Mengus in inveſt. dæm. exorciſ. 6. p. mihi 288. & exorciſ. 8. de ſolutione fienda maleficiato in matrimonio pag. 307.* quo benivolum ſelego Lectorem.

Adjunxi ulterius, *Solemnitatibus adhibitis ducta.* De jure namque naturali conjunctio illa corporum ſufficiebat, ſed jus noſtrum civile ut corroborare volens & ſuſtinere jus illud naturale, cum non tam quid liceat quam

quod

quod deceat & honestum fiet in conjunctionibus respiciendum *reg. semper in conjunct. & leg. non omne. ff. de leg. jur.* solemnitates adhiberi decrevit, ut sunt consensus qui maximè facit nuptias. *d. l. nuptias.* adeo ut jus Canonicum solum consensum sufficere dicat *c. sufficiat 27. quæst. 2.* copulatio sive benedictio, facta coram Ecclesia trina nuntiatione præcedente. Clandestina siquidem matrimonia planè improbantur & puniuntur. Si quis tamen clandestinè contraxerit cum aliqua, non facile dissolvitur matrimonium ob publicæ honestatis justitiam. Apud antiquos Romanos plura erant solemnia, ut in domum mariti deductio, &c. de quibus *tit. ff. de ritu nupt.* sed ea hodie non ita observantur. Ante tamen benedictionem si quis ad copulam procedat *vid. Sum. Cajetan. lib. 1. cap. 14. Angelica verb. Benedictio.*

Dixi tertiò, *debito tempore*] Quibusdam enim temporibus copulæ prohibentur, ut in sacris, tempore menstrui, noxium siquidem est & debiles fiunt partus: in quo tamen non conveniunt Physici, num menstruus sanguis noxius fiet nec ne?] Negantes afferunt hanc rationem, quod eo partus in utero alatur & sustentetur, nutriatur & lactetur; ideoque noxium haud esse. Sed contrarium duco verius, primo ex prohibitione illa divina, tum propter ejus menstrui ejectionem,

tum quia pleræque ægrotare incipiunt tempore menstrui, itemque quando retinentur, item quando definunt fluere post 50. annum, mulieres fiunt olidæ, vaporeque suo & aspectu inficere possunt tum speculà tum infantes, & dicit Aristoteles pilum menstruatæ mulieris sub fimo positum in serpentem mutari. Nec obstat negantium fundamentum, quia partus eò ab initio assuescit, ideoque ipsi nihil nocet, ut habemus exempla in Mithridate rege Persarum, & aliis adeò venenis assuetis, ut veneno sese necare haud quiverint. Et maxima causa est scabiei infantium, quando in lucem prodiere, sanguis ille menstruus, quo nutriti fuere in utero. Puto igitur verius noxium esse, ob id etiam cum muliere congredi prohibitum, quamvis id Itali haud curant, qui pro sua libidine libentius cum menstruata quam purgata coire solent. Prohibetur & copula tempore & diebus festivis, & quando quis se parat ad sumtionem SS. Eucharistiæ, ob reverentiam quam debemus Sacramentis. unde & gl. nullam aliam rationem mortis Oziæ tradit, quam quod præcedenti nocte cum muliere congressus fuerat. Item, Clerici sub excommunicatione prohibentur à celebratione missæ infra 24. horas, prohibetur etiam post partum usque ad dies purificationis.

Dixi

Dixi quartò *loco.*] Nam & locus abstinentiam interdum requirit, ut pote sacer, religiosus, orationi destinatus, & ubi homines degunt. *Casta* siquidem *Deus mens est, casta vult mente vocari.* Et domus ejus domus orationis est, & maximè bestiale censeretur, in loco ubi plures sunt homines, more canum libidini indulgere: post balneo nocivum esse coïtum ob apertionem pororum Medici docent.

Dixi quintò, *vase.*] ob enim vas debitum non servatum coïtus illicitus & damnatus fit de quo infra.

Ultimò, *modo*] modus siquidem communis, ut mulier supina jaceat, & agens incumbat, si tamen ob aliam causam alius modus requiratur, stando videlicet vel sedendo, ut tamen semen retineatur, non improbatur. Sin autem ex delectatione fiant, collateralis, stando, sedendo, &c. sunt damnabiles, quorum impius iste libellus, *Hortus Veneris* qui dicitur, plenus est, & Heliogabalus libidinosus iste Imp. professor fuit, qui mille penè modos excogitavit, & Venetiis à Courtisanis addiscuntur: Huc addatur exemplum Doctoris istius, qui putabat se prægnantem fore eò quod mulier ipsius ascenderat ipsum: Cujus meminit Æneas Sylvius in libello de duobus amantibus Euryalo & Lucretia. Hæc ne plura dixisse quam reticuisse contingat, sufficiant.

Illici-

Illicitum factum est fornicatio simplex] scluti nimirum cum soluta, vel cum meretrice, quæ etiam secundum *Dd. in l. invitus ff. de regulis Iuris.* ad id cogi potest, si tamen publicâ sit, & præmium ipsi detur.

Quæ autem publicum scortum sit ducenda, docet *l. palam. ff. de ritu nupt.* quæ nimirum ob quæstum corporis pluribus sese prostituit, quæ verò amoris causa uni vel alteri officium præstat, eo nomine habenda non est, cum crimina tegenda potius quam detegenda sint, & hic coitus cum meretrice innupta impunibilis est de jure civili *Bartol. in leg. si uxor. §. sed & in ca. num 4. ff. de adult. & in leg. verum. num. 2. ff. de furt per text. in leg. 1. C. de concubin.* plures concordant. *allegat Marsilius sing. 105.* Illud tamen quod cogi possit, quibusdam displicet, cum præmiis potius puellæ alliciendæ quam vi cogendæ sint, quia amatoris debent amasiis suis donare, non è contra, & crede experto, quod donum magis valet quam suspirium, imò suspirium nihil valet sine dono, ferrum tamen præponitur auro, nam secundum Juvenal. *Ferrum est quod amant*, quod quidam exponunt, id est, Ferreum membrum, propter cujus ferri fortitudinem insignes etiam mulieres servis vilissimis se exponunt, *hæc Cynus in lege unica de muliere*, quæ proprio servo, *vide Clarum.*

Illicitum

Illicitum quoque factum est cum concubina] concubinatus siquidem jure divino argumento *Epist. ad Hebr.* 13. *vers.* 4. *Matth.* 5. *n.* 31. & 19. itemque Canonico, *cap. nono.* 32. *quæst.* 4. *Gradd. in l.* 144. *n.* 9. *ff. de V. S.* est prohibitus, ideoque nati ex concubinis vel illicito coitu *Naturales* tantum dicuntur, *Legitimi* nequaquam, §. *aliquando. inst. de nupt.* quia secundum naturalem modum & affectionem generantur, maritus adulter tenens concubinam tenetur ad alimenta uxori, quæ propter pellicem ab eo recessit secundum *Iacobum de Arieto & Cynum. & Bal. in l. quod in uxorem. C. de neg. gest. Affict. decis.* 10. *num.* 1. & poterit quis accusare mulierem quæ adulterium commisit cum Papa, licet Papa accusari non possit, *argumento l. adulter. ff. de adult.* Hic quæritur:

An quis concubinam clerici ipso vivente in matrimonium ducere possit?

Respondendum videtur, quod sic, distinguendo tamen inspecto Jure Civili à quo concubinatus nomen assumsit, *per legem tertiam.* §. 1. *de concubinis.* num invito concubinario discesserit nec ne. Priori casu alteri nubere prohibetur, hac ratione, quia lex honestius ducit patrono concubinam habere, quam matrem, *f. per l.* 1. *d. titul.* Posteriori vero casu non prohibetur per argumentum à contrario. Secundo inspecto jure divino &

Cano-

Canonico, quod maximè in ſpiritualibus, quale matrimonium eſt, attendendum eſt: cum concubinatus prohibitus ſit, nec ſic ſpecies matrimonii eſſe poterit, ſed ſimplex fornicatio, non video qua ratione quis prohibeatur talem ducere, cum non cadat in eum crimen adulterii, *per l. 3. in pr.* Ubi autem adulterium non eſt, nec impedimentum matrimonii, quo ad tertiam eſſe poteſt, ut pulchre tradit *Alex. Carrerius in tractat. de ſponſal. & matrim. c. 21.* Nec obſtat dictum Pauli *ad Corinth. 7. in fin.* Uxor alligata eſt Legi quamdiu vivit maritus ejus: quia Paulus loquitur de matrimonio legitimo modo contracto, quod non ſolvitur quamvis ſeparentur per divortium conjuges, cui & aſtipulatur Imp. inſt. de nupt. *Nuptiæ ſunt, &c.* Individuam vitæ conſuetudinem continens, manet igitur vinculum conjugale indiſſolubile.

Tum etiam de jure Canonico prohibentur Clerici matrimonium contrahere. Igitur nec matrimonium eſt, nec ſpecies matrimonii concubinatus. Sequeretur & exinde, quod nec quis meretricem ſive ſcortum poſſit ducere in matrimonium, quod tamen in Jure Canonico opus miſericordiæ dicitur, *cap. inter opera. de ſponſal. Didac. in epit. 2. part. de matrim. c. 8. §. 11. n. 3. & ſeq.* poſt alios per eum citatos, & adducitur exemplum Oſeæ Prophe-

Prophetæ. c. 12. qui meretricem quam duxit ad pudicitiam convertit, c. non est culpandus 32. *q.* 1. *& c. integritas. ead. q. & gl. in t. non omnis* 32. *q.* 2. ubi refert Jacobum, qui ex ancilla liberos susceperat, filios legitimasse per contractum matrimonii cum ancilla. Idem & in c. dixit Sara. 32. q. 4. legitur Abraham propter Saræ sterilitatem cum ancilla rem habuisse, ut filios ex ea procrearet, & hæc ancilla uxor erat Abrahæ, ut ex text. Genesis 16. habetur in illis verbis: *dedit eam viro suo uxorem.* De Salomone viro nobilissimo legitur, qui duxit Rahab meretricem in uxorem, ex cujus stirpe natus est Salvator noster Jesus Christus, *Matth. c. 1. & d. c. integritas* 32. *q.* 1. & hæc opinio non solum de Jure Divino & Canonico locum habet, sed etiam de Jure Civili, ut si quis contrahit matrimonium cum ancilla, vel cum libera retenta in matrimonium, nihilominus filii ex ea nati legitimantur per supervenientes nuptias, ut est *text. in §. fin. ff. si mim ad libertam. Auth. de triente & semiss.* de Abrahamo vide Lyra. Accedit & illud, quod ea tantum prohibetur nubere quæ adulterii damnata est *lege prima. §. 2. de concubin.* Concubina autem, utpote cujus commixtio de Jure Civili ad evitandas vagas libidines concessa & permissa est. *d. l. 3. §. 1. in fin.* non censetur per desertionem adulterii damna-

damnata, cum eæ solæ in concubinatu haberi possint sine metu criminis, in quas stuprum non committitur, *dicta lege prima dicto titulo*, nec uxores dicantur concubinæ, sed tantum mulieres fornicantes. *Nov. 89. c. 2. num. 5.* nec magis species est matrimonij concubinatus, quam alia quævis fornicatio, quia concubinatu in matrimonium converso, liberi fiunt legitimi. *d. nov. 89. c. 12. §. 4.* Vtrum tamen spurius utrinque conjunctus succedat ab intestato fratri spurio etiam ex accusabili coitu? In sacro consilio de hoc quæsitum fuisse refert *Matthæus de afflict. decis. 69. n. 1. 2. 3. 4.* & in fine virtute sententiæ regiæ dixit, quod fuit votatum, quod frater spurius succedat fratri suo spurio uterino, licet ambo sint nati ex damnato coitu, exclusa uxore unius, ibid. *Cæsar Vrsillus in addit. per tot.*

Illicitum factum est adulterium.] Quod in nuptam committitur *l. inter adulterium. ff. de V. S* & dicitur Adulterium, quod ad alterius thorum accessi». & adulter in actu inventus liberè à patre vel marito uxoris occidi potest, & impunè, illud tamen fallit in Vasallo, qui dominum non potest occidere, si eum reperit adulterantem uxorem suam vel ejus filiam, sicut potest dominus è contra argumen. *l marito. §. 1. & l. adulterium. §. liberto. ff. ad l. Iul. de adult.* Nam Doctores æquiparant Vasallum

sallum liberto, ut pluries hoc faciunt *Andr. & Lucas de Penna in l. 2. C. in quib. cauſ. lib. 11. refert Matth. de Afflict. deciſ. Neapolit. 265. num. 30.* Atrociſſimum ſiquidem crimen habetur adulterium. Vnde & de omnibus alijs criminibus capitalibus excepto Adulterio tranſigere licet, *leg. tranſigere 18. C. de tranſact.* Nam ut Vates ille divinus carnis deteſtans flagitia, dicebat, *Omne peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus eſt, qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat,* Paulus 1. *Corinth. 6.* Nam etſi, inquit eo loco Theophylactus, videatur, cum hominem trucidamus, corpore id facinus admitti, non tamen univerſum ex eo corpus ſordeſcit: poſſumus namque vel lapide, vel ligno vel alio quopiã tormento ictus infligere & nihil corpus hoc inquinare. Verum tamen nullo pacto licebit fine corpore fornicari: in quo fit, ut illud omnino commaculetur. Quod igitur in omnibus peccatis gravius eſt? *c. quid in omnib. 32. q. 7.* Non abs re igitur Accur. quædam, inquit, crimina atrocia ſunt, quædã atrociora, quædã atrociſſima, ut adulteriũ, quod tam ægre fert maritus, ut moleſtius id patiatur quam proprij filij mortem, *leg. Codicillis. § mane. ff. de leg. 2. & not. Baldus in c. ex parte. de conſuetud. & conſilio 61. volumine 3.* & libentius ut Hieronymus *in Amos cap 8.* ait, audiat, uxorem interfici quam pollui: quandoque adulterium

ulterium est sceleratius fratricidio, ut dicit *Archid. in cap. an non* 24. *quæst.* 3. adeò ut minus malum sit furari & occidere quam mœchari, patet ex hocce, quia in hoc præcepto, *non mœchaberis*, nulla apparet dispensatio divina, sicut in illis, *Non occides*, *non furtum facies*; in statu extremæ necessitatis aggressorem, itemque furem nocturnum occidere licet, furari licet tempore necessitatis famis, at in illo, *non mœchaberis*, nulla reperitur divina dispensatio, nec rationeextremæ necessitatis, nec ex alia causa. Singulare tamen hic nota, quod quis possit accusare mulierem, quæ adulterium commisit cum Papa, Papa autem accusari non potest, argumento *leg. adulter. ff. de adulteriis*. & in hanc partem videtur inclinare *Aufrer. in Clem.* 1. *de offic. ord. in* 2. *regul. & fallent.* 33. *versu extende hujusmodi primam.*

Illicitum factum est raptoris cum rapta] de eo enim Imp. *Iustin. in l. illa unic. C. de rapt. virg.* Raptores, inquit, pessima criminum peccantes capitis supplicio plectendos decernit, etiamsi quis saltem sponsam suam per vim rapere ausus fuerit, nominatque raptum crimen detestabile, nec homicidii crimini dissimile, ut nulla raptor fori præscriptione gaudeat, nullamque appellandi licentiam habeat, ut nec raptor eam legitimè sibi conjungere possit, nec sit facultas raptæ virgi-

virgini, vel viduæ vel cuilibet mulieri raptorem suum sibi maritum expoſcere, quoniam nullo modo, nulloque tempore datur à Cæſaris Serenitate licentia eis conſentire, qui hoſtili more in Rep. matrimonia ſtudeant ſibi conjungere, nec pater raptum filiæ raptori remittere poteſt, *Nov.* 143. *c.* 1. *Nov.* 150. Unde quæritur:

An tranſactio ſuper raptu fieri poſſit?] hanc quæſtionem latius tractavi in *centuria* 1. *queſt.* 1. quo benivolum Lectorem ſelego, ne opus hocce in immenſum decreſcat; addere libet rarum illum caſum, quem narrat Angelus vidiſſe Florintiæ, quamdam meretricem comburi eò quod rapuerat quendam pulchrum juvenem, pro quo dicit *in l. unic. C. de rap. virg.* illam l. locum habere in muliere meretrice rapiente virum.

Illicitus imo damnatus coïtus eſt cum conſanguinea] intra quartum gradum inclusive: ad eum enim uſq; nuptiæ prohibentur propter conſanguinitatem, quæ eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite aſcendentium vel deſcendentium cardinali propagatione contractum ſecundum Hoſt. *in ſumma vocab. Matrimonium.* Et de lege naturæ impeditur matrimonium filii cum matre & filiæ cum parte. *Gen.* 1. relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori. De lege divina prohibentur matrimonialiter copulari conſanguinei

nei in 1. gradu & 2. in linea inæquali consanguinitatis & affinitatis ut patet *Luc.* 18. quod Nicolaus de Lyra super Josuæ 15. limitat verum, sc. ne neposaccipiat amitam propter reverentiam, sed quod patruus accipiat neptem conceditur, ut patet ibid. quia frater Caleph accepit ejus filiam capta civitate. Ex statuto Legis Ecclesiasticæ prohibetur matrimonium usque ad gradum quartum inclusive, *cap. non debet. de consang. & affin. Hæc ex Ricard. in 4. dist.* 40. Unde contrahentes infra tales gradus nulla longinquitate annorum defenduntur, quin sint incestuosi. *d. c. non debet.* Quidam hanc prohibitionem, usque ad quartum gradum, dicunt veram in collateralibus, sed in descendentibus & ascendentibus tenent, quod est perpetua prohibitio. Ratio, quia major reverentia debetur parentibus remotis quàm propinquis, & *hujus opinionis est Ricard. d. loco. Petrus Hug. Host. & Azo in leg. nemini.* C. *de nupt.* Sed *Summa Angelica* credit cum *Goffredo*, quod non sit prohibitio etiam in talibus nisi usque ad quartum gradum, quia cum dictum capitulum *non debet*, loquatur indistinctè de consanguinitate, nec nos distinguere debemus. Verum prior opinio, utpote æquior, autoritateq; Doctorum firmata, retinenda est: latius de his egi in comment. meo. *Instit. de nupt.*

Illicium

Illicitus coïtus est cum sorore] Quamvis ab initio ob defectum hominum licitus & concessus fuerit, postmodo autem lege lata prohibitus, &c. & hoc de sorore germana ex uno eodemque patre & matre nata, cum ea verò, quæ ex alio matrimonio nata est, cujus tamen matrem pater ipsius postea duxerit, nuptiæ esse possunt, quamvis ex eo matrimonio postea liberi nascantur. §. *mariti inst. de nupt.*

Illicitus coïtus est cum fratris filia] §. *fratris inst. eod.* Videtur tamen secundum litteram adversari. §. *cujus enim filium.* ibid. Filiam avi vel aviæ non possum ducere, tamen neptem possum, quæ est mihi consobrina. Respondeo hanc regulam stricte intelligendam esse in eo casu, in quo loquitur scilicet quando ego & illa, cujus filiam ducere non possum, sumus in gradu secundo ad stipitem & in potestate ejusdem, & sic vocabulum *Cujus* explicatur, scilicet fratris vel sororis meæ filiam, &c.

Illicitus coïtus est cum noverca] Absurdum siquidem videtur & est, uxorem patris eandem & sponsam filii esse etiam mortuo patre, loco namque matris habetur. §. *socrum quoque & novercam. inslit. de nupt.* sed hoc intelligit Christophorus Portius, quod Socrus & non noverca habeatur loco matris, ponens ℣. *Tunc cornix albescit ubi sancta noverca quiescit,*

quiescit, pede modo suo parat privigno venenum. & respond. ad illum text. quod Noverca est loco matris: id est, esse debet si non sit. Unde Seleucus rex, qui cum videret Antiochum filium novercæ Stratonices infando amore invasum, & hoc à Medico Herasistrato deprehensum, conjugem filio abutendam concessit offerens fortunæ, quod in amorem incidisset pudori imputans, quod dissimulare eum usque ad mortem paratus esset, ut refert *Valerius libro 5. c. 7.* Et nota ex instinctu naturæ etiam aliqua animalia irrationalia ab incestu abhorrere: de quibus latius egi in *comment. inst. ad tit. de jure n. 9. & c. ỳ. Ex hoc jure.*

Illicitus cotius est cum moniali] Vtpote sacra & religiosa, quæque ex hoc mundo exiverit ut solummodo ea quæ *Dei* sunt curet & speculetur, *d. l. si quis non dicam. C. de Ep. & cler. ibique Gl.* Tria siquidem committit delicta fornicans cum moniali secundum *Gl. in c. virginib. 27. q. 1.* vid. Incestum, adulterium & sacrilegium: violat enim templum Deo consecratum *c. sciend. 27. q. 1.* quod allegat *Gem. in c. felici col. fi. vers. item qui violat monialem lib. 6. facit etiam text. in c. impudicos cad. 27. q. 1. in l. si quis in hoc genus C. de Ep. & cler. Bald. in l. si nond. col. 3. vers. committitur autem sacrilegium & ibi communiter Dd. C. de furt. sequitur Albe. in d. l. si quis n. 2. Dec in cons.*

in conſ. 338. *n.* 1. *poſt Abbat. in c. monaſterium de vita & honeſt. cler. Marſil. in repetit. l. unic. num.* 37. *& in fin. C. de rapt. virg. Paul. Grilland. Caſtellioneus in tractat. de pœn. omniſ. coitus q.* 1. *num.* 22. addit *Cacheranus deciſ.* 103. *num.* 5. Quartum ſcil. ſtuprum, argum. *l. inter liberas. §. ſtuprum. & l. ſtuprum. ff. ad l. Iul. de adult. c. ſi qua Monacharum* 27. *q.* 1. ubi agit *de judice* Laici uxorati cum moniali coeuntis. Et nota quod refert *Leonellus Faventinus cap.* 75. *ſecund. part. pract. medici.* ubi de Satyriaſi & Priapiſmo virgæ ſcribit: Qui coit cum monacha vel moniali, quando talis moritur, remanet virga ejus tenſa, unde dicitur in carmine apud vulgares:

Qui monacha potitur, virga tendente moritur.

Illicitus coitus eſt cum Iudea] utpote extra Eccleſiam conſtituta & de foris. Dominum enim noſtrum Redemtorem Meſſiam negant, blaſphemijs ipſum onerant, ut ſatis ſuperque notum eſt. Et Chriſtianus cum Judæa vel contra carnalem habens copulam. Reſp. *punitur. l. ne quis Chriſtian. in. C. de Iudæis. & c. quanto. & ibi Abb. de divort.* quia Iudæa in Monaſterium detrudi non poteſt, nec vitam monaſticam deducere, nec pariter reconciliari viro, Iudæi ſiquidem *canis Iuris* interpretative dicuntur. Sed *Oldr. de laude* non eſt ita rigoroſus, quia in facti contingen-

tia Avinioni consuluit contrarium, quod capitaliter non veniat puniendus, *qui adulterium. C. de adult.* sed extraordinatiè arbitrio judicis, sed non obstante ejus opinione Dom. *Ray de Apulea.* & *Anton. de Cruce.* qui tunc præerant in officio judicaturæ Avinioni, dictum Judæum in amissione virilium condemnarunt, & ipse vidit virilia incisa ante palatium, ut ipse refert in consil. ul. & ipsum sequitur *Andr. Barbat. cons. 63. col. pen. vol. 4.*

Sed si Christina erat meretrix?] Tunc non puniendus secundum *Alexand. in consil. 13. lib. 7. Sylvæ nupt. fol. 74. col. 1.* & ista est communis opinio: tamen *Hieron. Pau.* dicit in libro provinciali *fol. 39. p. 2.* quod in Cathalonia infidelis habens rem cum Christiana punitur ad mortem, & etiam ipsa, sed quod Christianus cum infideli muliere copulam habens non punitur ad mortem, cum tamen secundum eum contrarium videretur, propter periculum partus qui ad tempus sequitur matrem infidelem.

Sed lex suæ patriæ consideravit incontinentiam, & infamiam majorem in muliere subjacente se servo, vel quasi servo infideli quam contra, arg. *l. unic. de muliere quæ proprio se & l. fin. Cod. coram. de manum.* cum Jurcica fœmina, utpote damnatam Mahometi sectam sequente, & de gente hereditario nominis Christi hoste procreata idem judico.

Sed

Sed quid cum Ethnica aut diversæ sectæ mu-liere?] Non refragantur Doctores, cum & Augustini mater Monica ethnico & morosо viro cohabitaverit, si tamen alteruter ad de-sectionem à fide Catholica non attentetur, salvatur enim mulier infidelis per virum fide-lem & contra *c. cave 28. q. 1. C. de infidelit. de consang. & affi. c. quanto, de divort. Panorm. in cap. fin. n. 3. de transact. vide cap. Iudæi. & seqq. 25. q. 1.* Nolite jugum ducere cum im-piis, *Wesemb. in titulum de ritu nuptiarum. ff. numero 4.* & paucis annis præterlapsis audi-vimus Johannem regis Daniæ fratrem, Mos-coviæ ducis filiam, qui non in omnibus pla-nè Christiani sunt, ducturum, in itinere obiis-se. Item dispensavit Pontifex Romanus, Clemens VIII. inter Lotharingum Ca-tholicæ fidei, & Catharinam Galliæ Regis sororem Hugonoticæ sectæ addictam, & hodie sine discrimine Lutheranos cum Ca-tholicis & Calviniistis, &c. conjungi vide-mus, cum maximæ eæ hodie sectæ in Impe-rio Romano vigeant.

Illicitus coitus est cum puella nondum viripo-tente] Si enim vis nubere, nupe pari, & in ca-su, qui nimirum fiet puniendus pœna ille, qui defloravit, seu defloraze conatus est puel-lam nondum viripotentem, variant Doctо-res, aliqui namque tenent pœna mortis de-bere puniri, quos refert *I. Clar. lib. 5. sent. §.*

ſtuprum. num. 9. ipſe vero diſtinguit inter humiliores & honeſtiores: illos in metallum damnat, hos verò in inſulam relegat, per text. expreſſum, *in l. ſi quis aliquid. §. qui nondum viripotentes. ff. de pœn. in fi.* tandem diſtinguit inter conatum & effectum, ubi ſolum eſſet conatus ad deflorandum non debere puniri pœna mortis, ſed alia citra mortem gravi, ubi verò frangeret pudenda, nullo modo evadere debere pœnam ultimi ſupplicii, de qua quæſt. latius egi *cent.* 1. *q.* 61. Idem tenet *Guid. Papa deciſ.* 555. *ſequens opin. Ioh. Bavilli V.* I. *Doctoris præſidentis*, cum ſecundum eum non potuerit delictum perfici in talem puellam non viripotentem, pro quo alleg. *l.* 1. *in §. fin in fin. ff. de variis & extraord. cog. Guido tamen non per Doctores ſed per text. in leg. ſi quis §. qui nondum. ff. de pœn. & in leg. ſi ſtuprum. ff. de injur.* & ita fuiſſe concluſum in Camera 1461. die 28. Januar.

Illicitus coïtus eſt cum beſtia] utpote rationis & intellectus experte, unde dicit Pſal. *Nolite fieri ſicut mulus & equus, in quibus non eſt intellectus*: & qui cum animali coït, vivus cum ipſo comburi à Domino jubetur: horrendum ſiquidem eſt, & planè naturæ humanæ contrarium, tale quid perpetrare, hoc ipſum §. 33. 1. *quæſtione* 3. ſed coïtum habere volens cum animali bruto, ſed impeditus, an puniatur ac ſi perfeciſſet? Quid ſit nixus copulæ

pulæ *Bald. conſ. 306. volum. 3.* dicit quod *text. in leg. fin. §. illud. Cod. de temp. appell.* exponit, ſumma ope nixum voluiſſe, *& Gloſſ. in reg.* ex eo non debet quis fructum conſequi quod nixus eſt impugnare *de regul. jur. in 6.* exponit verum nixum effectum. Sed Baldus alio modo exponit ubi ſupr. id eſt fecit quicquid potuit, ita quod per eum non remanſit perveniendo ad actum proximum immediatum, ut quia voluit clauſtra aperire pudoris, & per eum ſtetit. Non enim dicitur ſecundum eum actus proximus ſi alius eſt magis proximus, verbi gratia. Si quis tangat vel levet veſtimenta ejus, vel eam capiat per pannos, & iſtud dicitur naturali ratione demonſtrari, quia proximum dicitur illud, quo ſuppoſito alterius ſequitur continuatio, & de facili argumento leg. tria prædia, & leg. qui ſella. §. *in ruſticis ff. de ſervit. ruſt. præd. pro quo alleg. text. in cap. fin. ibi,* licet ſæpe nixus fuerit carnaliter non cognoſcens, & *ibi Gloſ. Abbat. ſic & Cardin. Alex. de ſpon.* ideò talis conatus & nixus ſub lege vel ſtatuto pro actu perfecto ſeu conſummato non ponitur. *Et idem Bald. conſ. 27. volum. 2.* niſi in crimine Sodomiæ, quod eſt inhumaniſſimum, *leg. 1. §. fin. ff. de extra ord. crimin. & c. ut clericorum. de vita & honeſt. cleric. & cap. Clerici de exceſſ. prælat.*

Hoc habito videtur reſpondendum, quod

non, quia de jure & consuetudine generali conatus non punitur nisi sequatur effectus, *lege prima, §. fin. ff. quod quisque jur, de consuetudine attestatur Speculator in titulum de accus. §. primo. quem sequuntur Angel. Paul. de Castr. Alex. Ias. &c.* & istud probari videtur *Levit.* 20. dum dicit, *qui cum jumento & pecore coïerit*, &c. ibi Gloss. interlinearis super verbo coïerit, sic exponit, id est deliberandi & perseverando, & idem Gloss. ordin. super verb. *Qui cum jumento*, ibi vir ergo vel mulier, qui non languore naturæ sed deliberatione ejus coïerit, reus est mortis. In contrarium videlicet, quod puniatur cum in atrocissimis delictis ac nephandissimis actibus voluntas & non exitus spectetur, *l. divius. ff. de sicar.* & hoc quando processum est ad aliquem actum ordinatum de præsenti ad ipsum factum, alias solus tractatus & sola ordinatio non punitur etiam in atrocissimis, ut dicit *Baldus in leg. non ideo minus in* 6. *Cod. de accusat.* & in terminis probatur 15. *quæst.* 1. *c. mulier quæ accesserit* ad omne pecus & vult ascendi ab eo, interficietis mulierem, & pecus morte moriatur, &c. & sic in hoc delicto atrocissimo non requiritur consummatio, seu seminis emissio, dum dicit: Et vult ascendi ab eo, & tenet *Baldus in dicto consilio* 27. quia in istis delictis licitum est transgredi jura.

Illicitus

Illicitus coitus est cum mortua] * utpote quæ in vivis jam esse desijt, nec amplius homo, nisi improprie dicatur. Et qua pœna punietur? Qui & nullo modo videtur debere puniri, quia homo mortuus nihil valet ultra nisi ut humo detur. not. *in leg. hac. ff. de condit. tritic.* & homo mortuus suspendi vel vulnerari aut jugulari non potest: ut tenet *Angelus in leg. 2. Cod. qui testament fac. poss. & in l. defuncto ff. de publ. jud. & in l. qui à latronibus* §. *si quis ff. de testam. Bald. in l. 1. col. 4. C. qui accus. non poss. facit l. qui mortui nascuntur. & l. anniculus.* § *fin ff. de V. S.* quia non est simpliciter homo *leg. homo mortuus. ff. de Verb. Obl.* & mortuo legari non potest *l. unic.* §. 1. *C. de caduc. tollen. & Hier. Cagnolus in l. diem functo n. 114. ff. de off. assess.* Quin imò clericus percutiens mortuum etiam si habebat animum interficiendi eum vivum, non incurrit irregularitatem, *ut tenet. Archid. in c. fin. 15. q. 1. & facit text. in clem. pastoralis. vers. Quoniam Imp. de re jud.* per quem dicunt ibi Doctores quod Doctor mortuus nõ debet appellari Doctor, & per consequẽs miles mortuus nõ debet appellari miles. & sic de similibus, nã ut inquit *Gloss. si reprieris, nec nomen habere mereris, in c. admonete 32. quæst. 2.*

* Vide Fulgos. libr. 9. cap. 1 de hominum luxu, exemplo de Cypsello, exemplo de Picente pag. 673.

Bart. tamen tenet contrarium per *text. in cap. un. de reliquiis & vener. sanct. lib. 6. ibi colum* 2. verſ. egregios quosque ipſius Doctores Eccleſiæ, ubi appellat Gregorium, Auguſtin. Ambroſi. & Hieronym. Doctores, & tamen mortui ſunt. Superioribus tamen non obſtantibus in contrarium videtur, quia cadaveri fit injuria *leg. 1. §. quoties à funeri ff. de injur. & Conneus in leg. ſororem C. de his qui ut indign. & leg. qui ſepulcra & leg. fin. cum ſua Auth. C. de ſepulcr. violat. & leg. 3. §. qui de ſepulr. ff. eod. & leg. 1. ff. de his quibus ut indign. & Gloſ. in cap. ſanè præfertur 24. quæſt. 2.* verbo monſtrari, quæ dicit, gravius eſſe peccare in mortuum quam in vivum per *text. in d. leg. qui ſepulcra & illam Gloſſ.* facit *Bald. ſingul. in leg. qui crimen colum. 1. verſ. quando quis accuſat Cod. qui accuſ. non poſſ. facit text. in d. leg. defuncto ff. de publ. jud.* ubi voluit Imola judicem qui poſt mortem criminoſi ipſum ſuspendi facit, teneri actione injuriarum, & dicit *Cyn. in leg. 2. Cod. qui teſt fac. poſſ.* quod eſt peſſima practica ſuſpēdi facere mortuos *per tex. in l. univerſi. C. ubi cauſa fiſcal.*

Illicitus & damnatus coitus eſt cum Diabolo] Heu quid inquis audio, tales ne reperiuntur, qui cum damnato illo ſpiritu, Leone illo rugiente, & quotidie nos homines, ut devoret quærente, familiaritatem habeant? Nonne impoſſibile corporeum cum incorporeo,

poreo, aut contra, id quod corporis est expers, cum corporeo misceri posse? Assertionem meam à plerisque Magiæ scriptoribus probari & pro vero haberi scio, quo autem modo ille coitus perficiatur, quidque ex eo procreetur, tradunt *Nicol. Remmig. in dæmon. Petrus Brinsfeldius in tract. de Maleficiis. Ottho Melander in concil. de Magis. Ananias de natura dæm. libr. 3. pag. 112. lib. 4. pag. 140. & seq. pag. 201.* Dæmones incubos, infestos esse mulieribus D. Augustino testante cognovimus, & quandoque in actibus libidinosis mulieribus voluntariè se subjicientibus utuntur, quandoque etiam ipsis invitis, & hoc in sacratioribus festis exercere consueścunt, ut refert *Hier. Meng. in fuste dæm. c. 17.* ibique exempla refert & remedia in *Flagel. p. 80.* & etiam *Fr. Valerius Polydorus Patavinus in sua Practica exorcistarum post exorcisation. 6.* In eadem opinione est *Andr. Cæsalpinus in sua dæm. investigatione. c. 9. ℣. alio modo pag. mihi 14.* & ex tali concubitu heroës ortos esse, & nomen renuisse. Heros enim amorem significat, quamvis *in c. 12.* limitet actus venerios exerceri à Dæmonibus, sed nequaquam prolificos, nisi vera semina aliunde collecta intromiserint.

Illicitus imò Sodomiticus coitus est contra naturam] quando nimirum non servatur vas debitum, sed ad posteriora acceditur, id quod Italis in frequenti usu est, quibus posteriora

magis placent quam priora, adeò ſpurci & libidinoſi ſunt, nec his poſterioribus, quæ facilè ipſis conceduntur, ſunt contenti: ſed & alios aggrediuntur modos, nimirum inter genua, brachia, mammillas, unde & non unam tantum meretricem, ſed plures pro diverſis modis & exercitiis tenent, & alunt, hanc ad huncce, aliam ad alium modum, de quibus ſatius reticuiſſe eſt. Unde & Courtiſanæ Veneræ (quarum infinitus ibi numerus, in toto enim terrarum orbe nullibi tantus numerus reperitur, & nullibi tantis privilegiis & libertatibus gaudent, de quibus quidam.

Urbe tot in Veneta ſcortorum millia cur ſunt?
In promtu cauſa eſt, eſt Venus orta mari.).

Magis amant, libentiuſque admittunt Germanos & exteros, utpote naturali modo contentos, nec ita ſpurcos & ſordidos poſteriora ambientes, ſed forſan magis fortitudinem illorum & nummos probant: quanto magis enim quis ſua nummorum poſſidet arca, tantò magis & habet fidei, quis enim tot armatis Ungaris reſiſtere queat? aut quis Præſulis Albani vel Matyris oſſa Rufini non amplectatur? quæ ſi quis Venetiis vel Romæ habeat, vertere cuncta poteſt, magis ſiquidem impendunt majoreſque faciunt ſumtus alicujus potiundæ cauſa Germani

quam

quam Itali, cum ſummo diſpendio tum ſanitatis, tum burſæ, tum animæ. Quanta enim fuit, quantoque jucundior converſatio illa, tanto acerbior pœnitentia & pœna. *Donna* enim *bella paradyſo del occhio, purgatorio del burſa, inferno del anima.* Italis igitur poſteriora, Hiſpanis capellas relinquas, cum quibus & ipſi bibunt. Tu qui amas, ad puellas tibi quam aſino multò ſimiliores accedas.

Illicitus & Sodomiticus eſt coitus cum puero.] Qui & Italis maximè frequens eſt, ut plurimũ tamen Florentiæ, unde & nomen accepit *Florentinus*, Germanicè Geſterreicht/& Romæ floret. Et ibidem adhuc in ædibus Cardinalis Dundini ad D. Catharinæ in Burgo illuſtre eſt ſimulacrum Antinoi Bithymi dilecti pueri ab Hadriano Imperat. & legitur in vita ſcelerati iſtius Neronis, qui verè ex angue conceptus à quibuſdam dicitur, quod puero cuidam genitalia exciderit, & in mulierem tranſmutarit.

Addere lubet jucundum illud, quod Romæ præcepi. Eſt Romæ in extremo Parionis vico Paſquini ſtatua in urbe decantata (famoſis olim onuſta libellis, nunc prohibitis severo edicto Pontificum) & toto orbe nota, quæ & famoſis libellis, *Paſquilli* nomen indidit, de qua videatur *Antonius Tibaldæus Ferrarienſis*. In ea Poëtæ Romani magnorum virorum vitia, verborum libertate perſtringen-

tes, chartas affigebant, Paſquini perſonam ſuſcipientes, *cui Marforius in Capitolii area reſpondebat.*

Quando igitur Papa Romanus Clemens VIII. qui Florentinus erat, electus fuit, Paſquinus ſive alius poſteriora panno & argilla fortiter contexuit & cooperuit, quærenti Marforio cauſam, Reſp. *Vereor ne Clemens, Florentinus cum ſit, & me per poſteriora corrumpat.* Quo patefacto magnæ promiſſiones ad detegendum autorem factæ fuere, ſed Paſquinus adhuc Carpocratiſat & ſilentium tenet. In præpoſtera hac Venere, deteſtando nefarioque ſcelere, id quod non proficit ſcire, ut caſtè loquuntur Imp. *in l. cum vir nubit* 31. C. *ad l. Iul. Majeſt. de adult.* Afflictus *pro ut eum refert & ſequitur Iul. Clar. l.5. ſent. §. Sodomia n.*8. dicit, vidiſſe, quod fuit determinatum per magnos Doctores, quod ſi quis actum non conſummaſſet, quia ſcilicet in ipſas partes pudendas membrum non impoſuiſſet; ſed tantum extra eas ſe polluiſſet, non deberet pœna mortis puniri, ſed alia extraordinaria, ſecus autem ſi membrum impoſuiſſet, licet intus ſemen non emiſiſſet. *Gram. ſupr. conſtit. regni. fol.* 108. *c.* legum aſperitatem. Afflictum reprehendit, & dicit, quod pro nunc ſileat, quia cum reverentia erravit, licet ſenex. Clarus tamen ſuadet ab Afflicti opinione non eſſe recedendum tanquam mitiori.

mitiori. Verius mihi videtur, utrumq; pœna mortis puniendum esse. Vterq; enim fœdè agit, quamvis enim prior actum non consummet, extra tamẽ se polluit, magisque sic peccat, quam alter qui membrum imposuit, semen tamen non emisit, obstitit namque illi sola membri inconsueta immissio, adfuit tamen plenus conatus & effectualis quidem, utpote quem secuta est seminatio & pollutio, quam alteri natura ob immanitatem denegavit, pari itaq; pœna puniendus uterq; mihi videtur. Talis portentosæ libidinis fuit Petrus Aloysius dux Placentiæ Pauli 3. P. filius, qui Cosmum clericum Episcopum Favensem per vim stuprasse dicitur, usus opera suorum, qui illum distinerent, quod quidem facinus misero illi sic doluisse ferunt, ut præ mœrore & indignitate rei postea sit extinctus, Sleidanus libro 19.

Illicitus coitus est fœdus ille & contra sexus naturam, mulierum inter se] de quo plura recenset exempla *Gomez. ad leg. Tauri.* Et ex sententia Hippocratis, fricando, &c. multum seminis emittunt, sed ad generationẽ seu procreationem ineptum; ex diversis siquidem seminibus maris nempe & fœminæ generatio procedit ex institutione creatoris nostri. In cujus pœna *Clarus libr. 5. §. fornicatio. n. 20. vers. inter mulieres adducit l. fœdissimam 20. Cod. ad l. Iul. de adult. ut & Petr. Binsf. in tra-*

ctatu

statu de confess. malef. C. *dubium hic moveri potest*, &c. *circa med. pag. mihi* 228. in eadem est sententia in qua lege, pro hoc crimine impositam pœnam mortis esse volunt, & dicit Clarus esse communem opin. allegans *Anton. Gomez. sup. l.* 80. *Tauri. n.* 34. ubi maximè, quod salvo excellentissimi Doctoris Practici dictum esse volo, hallucinatus mihi videtur, nam nullo verbo Mulierum inter se coitus meminit ea lex, sed de illis loquitur mulieribus, quæ ultro stupro se dedunt, id quod patet à contrario ex iis verbis. Non earum, quæ per vim stuprant & quæ ultrò sese prostituunt, quæ oppositio non procederet inter per vim stupratas & inter sese coëuntes, dicitur igitur. Ne fœdissima nequitia in princip. dict. leg. earum, quæ pudorem suum alienis libidinibus prosternunt, eò quod ultrò poscunt, quod alias ab ipsis rogatur. Quo autem modo iste coitus mulierum inter se fiat, haud proficit scire, id quod ex Gomezio habeo, afferre lubet. Solent instrumento ad id præparato, vel ligneo molli panno obducto, vel vitreo tepida aqua repleto, &c. sibi satisfacere, semenque provocare; potius robustum admitterent rusticum, qui ipsas bene absolvere posset, sed pudor & consuetudo impedit, cum ipsæ potius rogandæ sient quam rogent, quem tamen pudorem planè excussit Iohanna illa regina Neapolitana, quæ

quæ adeò salax & lasciva fuit, ut quemlibet robustum & cum longo naso, longum ex eo penem augurans, ad sese accerseret.

Illicitus imò frustraneus coitus est cum tali mulière quæ ita arcta est, ut mater fieri nequeat] In eo casu suadetur ut si citra mortis periculum fieri queat, scindatur & amplietur, quod in Italia pro vero audivi, matres filiabus infantibus, quam primum utero exiere, pudenda frangere, & ita illum casum ut & periculum in partu evitare conantur. De virgine ita arcta ita ut mulier fieri non possit, num matrimonium contrahere queat? Egi in *tract. de Virginibus*, quo benivolum selego Lectorem.

Illicita est spontanea pollutio] de qua *Summa Angelica in verbo Pollutio. Annan. de nat. dæmon. lib. 3. pag.* 118. *Amm. Movs. in coll. discr. Monach. Iohan. de Lapide* in resolutione dubiorum circa celebrationem missarum c. 2. *art.* 2. *dubio* 6.

Num mulier absque congressu viri concipere queat?] Hanc quæst. tractavi de Virginibus: ideoque eò benivolum selego Lectorem.

Num unum testiculum habens, exciso nimirum altero, generare possit? Hanc quæstionem habui in Facto: de qua vide centuriam meam 1. quæst. 52. per totum: & illustravi eam magistraliter, & perquam doctè doctiss. Hector à Glycia.

Viri

Vtri, si mulier defuncto marito alteri statim nupta nono postea mense pariat, sit tribuendus partus?] De hac quæstione vide cent. 1. q. 42. per tot.

Qua verò ætate ad factum legitimè procedatur, scire fortean avetis. Nondum expertus, ætatem determinare non potero: de jure tamen nostro puellæ puberes & nubiles, maturæ aptæque ad factum censentnr anno 12, & masculi anno 14. citius enim ut supra dictum est pubescunt puellæ quam mares. De maribus tamen qui anno 9. ad procreandum habiles fuere, idque facto probarunt, meminit Borcholt. inst. ad tit. de nup. Et ætate penè dupla marés præcedere debent puellas, ob nimiam lasciviam & salacitatem earum; unde est dictum à majoribus;

Wann daß Mägdlein noch ligt im bad
So soll der Mann gehen in die mat.

Unde Pasquillus de Octavia Farnesia minus habili juncta juveni, canit.

O tu quæ nimium juveni mala juncta puella es,
Quid facis in solo nocte silente thoro?
Vt reor ipsa doles, quod sit tua messis in herba,
Et cruciat mentem mentula parva tuam.

Quamvis etiam aliud dictum sit: *Mature nupsisse nunquam pœnituisse.* Item, *qui vult filios suos cernere in armis, maturè se matrimonio jungat.* De puellis in quibus plerumque malitia supplet ætatem, statuere quid certi nequeo, matu-

maturius igitur virili ſubmittantur jugo, ne majus incurrant ex negligentia parentum crimen, ſicq; toti familiæ dedecus & infamiam inurant: communiter tamen illa 18. annorum arridet: ea ſiquidem magis diſcreta, læta, habilis, jucundaque; ulterior ſi fiet, frigida, moroſa, & exarida erit. Liberum cuique ſiet pro corporis ſui habitu & fortitudine pugnam hancce Veneris inire, nam æque Tyrones ac Veterani in exercitu reperiuntur milites, & dulce bellum inexpertis multos ad ſeſe allicit, & patrem & matrem patriamque fugientes & dulcia linquentes arma, arma arripiunt, ſtrenuè ſeſe exercent, donec tandem Cæſariani à Gallicarum rege cæduntur & profliguntur, ſicque miſeri vulnerati ad Aſyla ſua xenodochia, Chirurgos, & ad regem Indiarum confugere, ibique auxilium poſcere coguntur. Satis de hiſce, cum omnia ad finem tendant, nihilque ſtabile in mundo ſiet, & hic de fine tractare propoſitum erit, qua ætate diu qui jam pro monte Veneris veterani milites ſtipendia meruere, ad meritorias tanquam emeriti dimittantur, ut ibi aut ſenio confecti, aut vulneribus in prælio ſuſceptis, claudi ſeu manci quoquo modo effecti, quoad reliquum ſuperſunt alantur. Phyſicorum ſchola mulieres dimittit poſt annum 50. is enim ſexus cum citius inceperit, citius etiam deſinit, juxta illud, *quod citò fit citò perit*: poſt

annum

annum siquidem 50. menstrua fluere desinunt, sicque voluptatem mulieri auferunt & tollunt & ad alias relegant. Masculos verò utpote sexus constantioris & fortioris, ulterius in castris detinet ob præexcellentiam ad annos nimirum 60. & ultra: post annum enim 60. semen in iis emarcescere statuit, quamvis exempla inveniantur eorum qui ultrà militarint. Id & jus nostrum animadvertens, prohibuit ne Sexagenarius minorem quinquagenaria duceret, de quo in Virgine, nulla siquidem spes prolis apud eos reliqua censetur; juvenes igitur puellæ junioribus, senesque senioribus addicendæ. Nostris tamen seculis omnia in pejus ruere & retrò sublapsa referri videmus: senes namque plus penè inhiant juvenibus puellis quam juvenes, id quod Impp. suprad. constitutione salutari, *in l. 27. C. de nupt.* prohibere voluere. Unde & Romæ post incensam à Gallis urbem ob inopiam cibariorum decretum tulerunt, ut Sexagenarij è ponte sublicio, cujus vestigia adhuc in medio alveo Tyberis ad Aventini montis radices cernuntur, in Tyberim tanquam patriæ inutiles dejicerentur, unde *Depontani Sexagenarij* dicebantur. Veritas tamen hoc habet, quod Sexagenarij à suffragio depellebantur, & ita eos ponte dejici solitos ferunt, ut testatur *Marlianus in urbis Romæ Typographia lib. 7. c. 7.* Ast

neutram

neutram horum opinionem probandam fore censet *Hieron. Ferrutius ibi in additionibus*: cum non habeant certos auctores, sed vulgi prorsus sit opinio. Hæc de senibus, de ponte dejiciendis. Ast ne ætati illi senili ad quam omnes tendimus, invidere videamur, Senectus in honore habenda est. In antiquis enim est sapientia.

Unde credebant hoc grande nefas & morte piandum, si juvenis vetulo non assurrexerat, & si barbato cuicunque viro, &c. In solatium exempla aliquot coronidis loco addam: inde cum senecta ætate finem huic operi & labori imponendo: à juvenili enim ætate, principio hominis, ad senectam ejus finem pervenimus; finem igitur meritò expectamus. Unum exemplum est ex sacris, David namque rex senio jam confectus & omni calore destitutus naturali, adduci sibi jubet juvencolam, ut ejus calore calefiat & vitam ducat. Alterum est Romanum, Romæ namque degens perlustrando templum D. Petri in Vaticano, inveni monumentum & statuam Pauli 3. Farnesii Pont. Max. & ad pedes ejus ex marmore nitidissimo exsculptas fœminas duas: unam matrem vetulam, alteram filiam juvenculam pulcherrimam, opus Guilhelmi de la Porta Mediolanensis. Obstupui quid hæ mulieres ad monumentum Pontificis? quæsivi. Resp. talem

senectu-

senectutem Pontificem attigisse, quod omnis calor naturalis ab eo discesserit, dentesque ipsi exciderint, ad sustentandum igitur ipsius vitam duas hasce fœminas ipsi adjungi necessitatem flagitasse, matrem ut ipsum lactaret, filiam ut suo juvenili calore ipsum foveret & calefaceret: audito hocce, ulterius quæsivi, quare mater vestimento cooperta, filia autem tota nuda, exceptis partibus pudendis fiet? Resp. matrem vestitam quia & ipsa jam suo destituta fuerit calore. Filiam autem ante hac totam nudam fuisse, sed ob Sodomiticos Italorum mores æmeo velamine circa illas partes tegi necesse fuisse. Quæ exempla, utpote illud regium, hoc verò pontificiale, quibus superior non reperitur status, si respiciamus, desiderio illi necessario senum quodammodo indulgendum & connivendum erit.

Restat ut tres tantum illas Syllabas quas Caietanus Cardinalis à Luthero olim postulavit *Re vo co* proferam aut sane relegam. Verum cum relego, ait quidam, scripsisse pudet; nam *plurima cerno, me quoque quæ scripsi judice digna legi.* debuissem silere potius ut culpa carerem, quam quidquam edere cujus veniam deprecarer. Quid? Nonne & Horatius? quid vetera adduco exempla? Nonne & Cynus excellens iste IC tus literas & carmina amatoria scripsit? Quis quæso expressius,

preſſius, & tanquam expertus amator, autor eſt perquam jucundæ iſtius hiſtoriæ de Lucretia & Euryalo, in omnium penè manibus quæ verſatur? Nonne Æneas iſte Sylvius Piccolomineus de Sienis, Imp. Sigiſmundo à Secretis, qui poſtmodum ad ſummum pontificatus culmen & faſtigium evectus, Pius II. nominatus? Tum verò, inquias, revocavit, ut patet ex ipſius apologia. Reſp. Et ego ad culmen illud, multum interea aquæ Rhenus lambat, ſuffectus, ex facto infectum, ex ſcripto non ſcriptum reddam. Nonne multa Philoſophiæ occultæ ſecreta aperuit Henricus Cornelius Agrippa in libris ſuis de occulta Philoſ. Aſt & ille, inquias, ad aulam Imp. aſſcitus revocavit, & quæ in juvenili ætate ſcripſit retractavit? Reſp. Et ego ad talem dignitatem ſuffectus tantum apud Imp. Majeſtatem. impetrabo, ut irrita hæc & tanquam non ſcripta habeantur nulliuſque cenſeantur valoris. Nec puto me quicquam veritati contrarium, piis auribus abſurdum, aut pudori adverſum ſcripſiſſe, quod ſi fortean à me factum fuerit, properanti ſtylo currentique calamo, qui ſæpius mentem præcurrere ſolent, imputetur quæſo. Hæcce ad lineam Amoris ſufficiant dixiſſe ſub correctione cujuslibet melius ſentientis.

CATA-

CATALOGUS
AUCTORUM,

Qui citantur, & quorum opera in his meditationibus auctor usus est.

A.

Acursius.
Æneas Sylvius.
Alex. Aphrodisiensis.
Alexander JC.
Alexander Papa.
Ammonius.
Andreas Barbatia.
Andreas Cæsalpinus.
Alexand. Carrerius.
Angelomus Monachus.
Aristoteles.
Aristophanes.
Archelaus Archidiacon.
Arrestum Parlam.
Augerius Augustinus.
Ausonius.

B.

Aldus.
Barthol. Marlianus.
Boërius.
Boëtius.
Bosius.

C.

Acheranus.
Cadmus.
Catullus.
Celius.
Cæsar Vrsillus.
Calepinus.
Capugnanus.
Clementinæ.
Codex Justiniani.
Corneus.
Crates Thebanus.
Cotta.
Christophorus Portius.
Cyrus Pistoriensis.

D.

David Propheta.
Democritus.
Didacus Covarruvias.

E.

Empedocles.

F. Fla-

F.

Flaminius Rubeus.
Franciscus Scotus.
Franciscus de Sepula.

G.

Geminianus.
Glossa.
Goffredus.
Gomezius.
Guido Papæ.
Georgius am Wald.
Grammaticus.

H.

Henr. Corn. Agrippa.
Hieronym. Mengus.
Hiron. Paul.
Hieron. Cagnolus.
Hieron. Ferrutius.
Horatius.
Hortus Sanitatis.
Hostiensis.
Hugo de S. Victore.

I.

Jacobus Cujacius.
Iacobus Butrigarius.
Iacobus de Aretio.
Iason.
Iohannes Andreas.
Iohannes Bodinus.
Iob. Boccatius.
Ioh. Corrasius.
Ioh. de Gandavo.
Ioh. Baculus.
Ioh. Laurent. Ananias.
Iobus.
Ioseph Stephanus.
Institutiones.
Isaias.
Jus Canonicum.
Julius Ferrettus.
Julius Clarus.
Imola.
Justinus Goblerus.
Juvenalis.

L.

Leges XII. Tab.
Leonell. Faventinus.
Leonhardus Vairus.
Lucius Florus.
Lucretius.
Lucas de Penna.
Ludovic. Demontiosius.

M.

Martialis.
M. Attil. Serranus.
Marquard. de Susanna.
Malleus Maleficarum.
Matthæus de Afflictis.
Marsilius.
Mutianus.

N. Na-

N.

Nathan Chytræus.
Nicolaus Lyra.
Nicolaus Remingius.
Nicephorus.
Nigidius.

O.

Ovidius.
Orpheus.
Oldradus de Laude.
Ottho Melander.

P.

Paulus Apostolus.
Panormitanus.
Paulus de Castro.
Paulus Grillandus.
Petrus Apponensis.
Petrus Binsfeldius.
Petrus Lacepiera.
Petrus Martellius.
Philippus Decius.
Plato.
Plinius.
Politianus.

R.

Raphaël Cumanus.
Richardus.

S.

Salomon.
Salicetus.
Samocratius.
Seneca.
Sebastianus Francus.
Sleidanus.
Summa Angelica.
Summa Caietana.
Sylva Nuptialis.
Speculator.

T.

Terentius.
Theophr. Paracelsus.
Theophylactus.
Tobias.
Thomas Edouard. Anglus.

V.

Valerius Maximus.
Valerius Polydorus.
Virgilius.
Vlpianus IC.
Vulpellus.

W.

Weckerus.

Z.

Zonaras.

FINIS.

HENRICI KORNMANNI
ex Kirchaina Chattorum,

DE ANNULO USITATO

Pars Prima.

SUMMARIA.

1 *Vnde dicatur Annulus.*
2 *Annulorum usus.*
3 *Annulorum gestatio.*
4 *Annulorum species.*
5 *De Annulis ferreis.*
6 *De Annulis aureis & eorum jure.*
7 *Ius annulorum aureorum olim an Romanis promiscuum Romæ fuerit.*
8 *Annulorum aureorum quando promiscuus usus cæperit.*

9 *Annulorum aureorum jus ex qua causa tribui consueverit.*

10 *Annulorum jus quibus initio Romæ concessum.*

11 *Annulos quos & qui initio gestarint Romani.*

12 *Annulorum quæ in castris differentia.*

13 *Annulos aureos quibus militibus gestare concessum.*

14 *Annuli aurei quando olim è digitis deponendi.*

15 *Annulus cur detur Episcopo.*

16 *Annulo quis digitus ornetur.*

17 *Annulorum sculpturæ variæ.*

18 *Annulus qualia diversi insculpta seu infixa habuerint signa.*

19 *Annuli, qui in ratione pannicularia numerentur.*

20 *Annulo donari à rege apud Persas quid?*

21 *Annuli traditione a moribundo facta proximo assistenti quid priscis denotabat.*

22 *Annuli traditio hæredis institutionem quodam modo arguit.*

23 *Annuli traditio sola efficax non est ad plenum probationem.*

24 *An-*

24 *Annuli traditio, an sufficiat ut quis fiat tradentis hæres.*
25 *Annuli detracti morientibus.*
26 *Annuli mutati in luctu.*
27 *Annuli cum mortuis combusti.*
28 *Annulus Corradini illi necis causam præbuit.*
29 *Annulus Polycratis in ore piscis inventus.*
30 *Annulus Pyrrhi novem Musas habebat insculptas.*
31 *Annulus Lydorum regis.*
32 *Annuli Somniorum.*
33 *Annulorum compositio.*

BENE (seu è re) est priusquam ad verborum interpretationem perveniamus, pauca de ipsius significatione tituli referre, ut exordiar *cum Iurisconsulto Vlpiano in l. 1. ff. si certum petat.* Et quoniam juri operam daturum prius nosse oportet, unde juris nomen descendat *l. 1. in pr. ff. de justit. & jur.* Nisi enim nomen scieris, cognitio rerum petit, *Secund. Isidor.* & ut *Philosophus* ait 1. *Elench.* qui virtutes vocabulorum ignorant de facili paralogizantur, id est, decipiuntur. Idcirco Annulum, ejus usum ne-

cessarium & reliqua exponere volens, incipiam ab hoc unde dicatur.

1 Dicitur autem Annulus † à circuitu sive à rotunditate. Græci à digitis δακτύλιον appellavere. *Cic. 5. Verr.* Sæpe enim nostri imperatores, superatis hostibus optimè Rep. gesta scribas suas aurens annulis in concione donarunt. Fuerunt homines tam inepti, qui annulos etiam digitos à Latinis vocari crederent, authoritate *Plauti in pœnulo. Atque ut opinor, digitos in manibus non habent. AG. Quid jam? Mil. Quia incedunt annulis auribus.* Sed hi profecto nimis pueriliter delirant, neque Poëtæ jocum assequuntur. Irridet enim ibi Poëta Pœnorum morem, qui ac si digitos in manibus non haberent, annulos à manibus ad aures transferebant. Apud nos prisci Ungulum & Unguinum vocabant, postea & nostri & Græci *Symbolon* dixere. Nam Symbolum nota est & signum, Annuli autem equestris ordinis notæ erant. Condulum quoque ac condalium veteres annulum nuncupavere *teste Festo Plaut. in Trin. In Thermodolio condalium es oblitus.* Ab Annulo *Servius* Annum reducit, quod in se redeat quasi annulus, ad quam originem etiam *Virgilius* alludere videtur quum ait:

Atque in se sua per vestigia labitur annus.

Nam

Nam mensibus in se currentibus voluitur. Sol enim per duodecim Zodiaci signa excurrens annum conficit: Unde apud Ægyptios ante inventas litteras Dracone picto suam mordente caudam indicabatur. Alii à verbo Græco *Ἀνανεόω* derivant, quod significat *renovo*, quia semper renovatur. Est & fluvius Mauritaniæ Annulus in quo Elephantes luna nova apparente se abluunt. *Plin. lib.* 8. *c.* 1. Authores sunt in Mauritaniæ saltibus ad quendam amnem, cui nomen est annulo, nitescente luna nova greges Elephantum descendere, ibique se purificantes, solenniter aqua circumspergi, atque ita salutato sidere in sylvas reverti. *Calepin. in verb. Annulus.*

De † usu ejus infra de Annulo Signatorio. 2
hoc saltem hic addam, quod *Aubanus* refert *de Asia lib.* 2. *c.* 3. *Assyrii*, inquit, *Annulum Signatorium singuli habent, & sceptrum affabre factum, cui malum aut rosa, aut lilium, aut aliud simile sit impositum, sine insigne aliquo id gestare indecorum ac turpe creditum.*

Veteres Græcos † annulum habuisse in 3
digito accepimus sinistræ manus, qui minimo est proximus. Romanos quoque homines ajunt, sic plerumq; annulis usos. *Gell. lib.* 10. *c.* 10. Causa hujus rei infra patebit.

4 Est quoque animadvertere, † ut inquit *Alexander ab Alexandro Gen. dier. lib. c. ult.* quod, qui minimo gestatur annulus, *Achates* dicitur, quo vero index ornatur. *Coriannos.* Latini autem lævis materiæ annulum, qui minimo gestatur, *Æstivum* nuncupant.

5 Veteres † annulo ferreo utebantur, *Plin. lib. 33. c. 1.* post augescente luxu, cum annuli ex auro & argento facti essent, ferrei servis, argentei libertinis relicti, auri autem ingenuis attributi sunt. *Isidor. lib. 19. Etymol. c. 32.* hinc, *Papinius 3. Mutavitque genus lævæque ignobile ferrum exuit.*

6 Olim jus aureorum † annulorum beneficio principali tributum, ut loquuntur *Impp. Dioclet. & Maxim. in l. aureorum usus annulorum 2. Cod. de jure aureor. annul.* & servis non licebat: hinc & merito ad solemnia adhiberi non poterant, cum Juris civilis communionem in toto non habeant, *l. 20. §. servus. ff. de testam. & ibi Cujac.* sed ferreis utebantur. Postea vero ex constitutione D. Justiniani non jam ex necessitate hoc à principibus postulabatur, sed omnibus similiter subjectis regenerationis jus & aureorum annulorum datum est *c. propterea c. facimus. Auth. ut libert. de cætero.* Licebat autem olim

olim hos 7 aureos annulos, nulli quam e- 7
queſtris ordinis hominibus geſtare, hinc merito conceſſa aureorum annulorum uſurpatione, ipſum quoque ordinis dignitatem conceſſiſſe princeps videbatur. Quod olim virtuti præſertim militari tribui ſolitum teſtatur *Cicer. in Verr.* 5. ut & jura imaginum. *Cicer. in Verr.* 7. Et tribuebatur habentibus in bonis 1400. qui cenſus erat equeſtris. *Sueton. in Iul.* Sic Arnobius 4. pecunia donat annulos aureos paſſim Plinii ſeculo 33. *cap.* 3. parciſſime ſub Vitellio. *Sueton.* Nunquam aut rariſſime ſub Alexandro Severo jus aureorum annulorum dabatur. *Lamprid.* jus aureorum annulorum impetrans libertus, non ideo eave ex cauſa libertus eſſe deſinit. Proinde alimenta eadem ut liberto à patrono relicta recte conſequitur. *l.* 1. *C. de jur. aur. annul.* invito aut ignorante patrono libertus jus aureorum annulorum impetrare non poterat, *Plin.* 10. *Epiſt. Rogo enim indulgeas jus Quiritum, quod à te volentibus patronis peto. & alio loco: Rogo des jus Quiritum libertis, quod à te peti me patrono peto. Cujac.* 7. *obſerv.* 14. poſſunt & fœminæ impetrare jus annulorum, ingenuitatis, natalium *l.* 4. *C. de jur. aur. annul.*

8 Tempore Hannibalis, quo Italiam omni clade belli pervastabat, jus annulorum aureorum fuisse promiscui usus *Plinius* asseverat. *referente Alex. ab Alexandr. Gen. dier. lib. 2. c. 29.* Et virtuti olim
9 præsertim militari tribui solitum testatur *Cicero in Verr. lib. 5.* ut & jura imaginum *Cic. in Verrem 7.* Vnde fortè insignium & armorum nostri temporis usus ortum habet, de quibus extat *tractatus Bartoli* Equestri ordini, qui medium tenebat locum, nam duo ordines plebis scilicet & senatorius Romæ à principibus editi erant, cui purpura ut patriciis & senatoriis uti non licebat, jus annulorum aureorum quo insigni à plebe secernebantur, & medius ordo notabatur, publice tributum ferunt. 33. *Plinius* 1.

Quod quidem jus non equitibus modo tanquam bellicæ virtutis insigne, sed & senatoribus & militiæ primoribus datum fuit. Is tamen ordo, etsi senatoria minor, magnæ tamen amplitudinis vigorisque habitus est: quippe erat auctus ampliſſimis honoribus & senatorio pene par. Nam cum à principio originum ejecto Tarquinio & depulso metu regio in libertatem se urbs vendicasset, Brutus primus ex equestri ordine senatum supplevit, trecentosque

delegit

delegit Senatores, quorum consilio & autoritate niterentur. Lapsis deinde temporibus Cajus Gracchus Tiberij frater & haud multo post, Livius Drusus Tribunus plebis uberiori compendio eum aliquando ordinem cum senatorio confundere decreverunt, utque plus dignitatis ferret, ut in senatum venire, & sententiam dicere liceret, lege sacrata, deinde plebiscito sanxerunt. Quibus etiam equitibus tributum est, ut tametsi à Senatoribus in Senatum allecti non essent, pro ea tamen, quod magistratus & honores gesserant, in Senatum venire & suffragari ac sententiæ jus, habere possent, qui sunt *pedarii* appellati. Quin etiam Equites supra Senatores extulerunt, & velut principes plerumque ante lati sunt, &c. *Alex. ab Alexandr. Gen. dier. lib. 2. p. 29.* Illud tamen præcipiendum non cuicunque militi † annulos aureos passim deferre licuisse, quia nisi ex primoribus militum, aut re magna & æstimatione forent, aut præfectus, centurio, † decurio, aut tribunus exercitui præessent, vel à principe aut prætore annulo aureo donati fuissent, illis impune uti non licebat. Ferreo enim militibus passim uti permittitur. Quemmorem Persæ usurparunt, quibus neque

10

11

aurum zonamve, aut monile, neque annulum, nisi regis munere collatum, deferre licet. Post temporum vero intervalla non modo annuli aurei, sed diversi generis munera velut ampla pretia militibus dari cepere. Quippe Aurelianus Imp. gregariis militibus, ut per omne tempus militiæ fibulas haberent aureos, privilegium dedit. Severus ultra aureas annulos etiam domesticas concubinas largitus fuit, quibus delinimentis militum animos emollivit & enervavit. Apud Macedones Chlamys & apex aureus munera regia fuere. Sertorius pictas chlamydes militi dona impartivit. Alexander Macedo usum Persicæ stolæ.

12 Vetusto tamen more † in Romanis legionibus solis Tribunis aureas fibulas habere; gregario vero aut manipulari, baltheos aut phaleras argento decoratas ferre permittitur: Fertur que Iulius Cæsar milites tam cultos habuisse, ut etiam auro & argento politis armis ornaret. Tametsi Brutus in Philippis Tribunis fibulas aureas, ut probrum objectavit. Non sic Spartacus, qui dum contra Romanos molitur arma, omnem auri argentique usum militi interdixit. Præ cæteris Fabricius Censor tantæ abstinentiæ & tam castigatæ disciplinæ fuit, ut summos

mos duces plus quam pateram & salinum ex argento in castris habere, edicto inhibuerit. Et Pescennius Niger tantæ severitatis, ut summoto omni argento in vasis ligneis milites vesci jusserit. Contra vero de Antiocho proditum est, qui tam prodigæ luxuriæ exercitum duxit, ut præter fræna & monilia, phaleras & armillas, atque ephippia, galeas & arma, etiam clavos aureos crepidis subjectos, & argentea vasa ad spurcissimos usus, reliquamque supellectilem ex argento auroque intextam, militibus ferre permiserit.

Alexander Severus cum reliqui † milites passim haberent annulos, tribunis tamen centurionibus & legatis, aut his quibus ordo & imperium erat, aurei dabantur, à quibus sive in hostes ducere, sive castra metari, sive in prima acie & fronte locari, aut in subsidiis poni, vel instationes & vigilias ire conveniret, tesseram milites petebant. Ipsi vero ab Imperatore, quod dari oportebat, signum assumebant, copiasque equitum & peditum, quoties dimicandum erat, ornari & instrui atque in aciem educi jubebant. 13

Moris fuit annulos † aureos in luctu & funeribus funestisque casibus Reip. deponi & ferreos sumi. Scilicet arbitrati sine 14

auro

auro in luctu esse oportere, in quibus Imperatorum & Principum, aliorumque quos colebant, & præcipuo honore prosequebantur, aut majorem imagines effictas exsculptasque habebant; hinc colligitur mulieres in luctu, aurum, purpuram & monilia deposuisse, atram vestem sumsisse *Gothofr. ad l. 8. ff. de his qui not. infam.* Et *Seneca Epist. 64. Aurum fœminis ad lugendum constituere majores, non ut tamdiu lugerent, sed ut ne diutius.*

15 Datur Episcopo † Annulus propter signum pontificalis honoris vel signaculum secretorum. Hæc *Isidor. lib. 1. de Eccles. offic. cap. 5.* Addit *Rab. Maurus lib. 1. de instit. cleric. cap. 4.* multa esse quæ ante carnalium minusque intelligentium sensus occultantes Sacerdotes, quasi sub signaculo condunt, ne indignis quibusque Dei Sacramenta apertiantur. *Demetrius Bulgariæ Archiepiscopus in responsionibus ad Constantinum Cabasilam de annulis Episcoporum: Apud Latinos*, inquit, *annulum ferre iis quidem, qui secundum spiritum ambulant, spiritualiter accipitur. Quemadmodum enim Ecclesiæ mundarumque & viginearum animarum nominatur sponsus, sic, qui ubique sunt sanctarum Ecclesiarum præsules sponsi apellantur annulo accepto ut spiritus sigillo quod & Salvator

rator in digito id est sancto Spiritu, se dæmonia ejicere incredulis dicebat Iudæis, qui eum contitio quasi Beelzebub haberet, consectabantur, & prodigum filium reversum aureo annulo exornavit, &c. Annulus in digito ait *Stephanus Eduensis libr. de Sacramento Altaris c. 2.* Ecclesiam, cujus minister est, sponsum Christo associat, & fulgore suo dona sancti Spiritus fulgentia demonstrat. Item, *Innocentius III. lib. 1. Mysteriorum Missæ cap. 61.* Annulus est fidei Sacramentum in quo Christus sponsam suam Ecclesiam subarravit, ut ipse de se dicere valeat, *Annulo suo subarravit me Dominus meus*, id est, Christus, cujus custodes & pædogogi sunt Episcopi & Prælati annulum pro signo ferentes in testimonium. *Idem Innocentius III. eodem lib. c. 46.* annulus digiti donum Spiritus sancti significat: Digitus enim articulatus atque distinctus Spiritum sanctum innuit secundum illud: *Digitus Dei est hic, & alibi. Si ego in digito Dei ejicio dæmonia,* & postea: *ipse vero de plenitudine sua secundum differentes distinctiones distribuit: alii secundum Apostolum, dans sermonem scientiæ, alii gratiam sanitatum, alii operationem virtutum, &c.* quod & visibiles Pontifex imitatur, alios in Ecclesia constituens sacerdotes, alios Diaconos, alios Subdiaconos. Et

dictum

dictum initio *ex Isidoro* dari annulum Episcopo propter signaculum secretorum. Quando vero datur annulus Episcopo, dici solet ut in libello ordinis Romani: *Accipe annulum discretionis & honoris & fidei signum, ut quæ signanda sunt signes, & quæ aperienda sunt prodas, quæ liganda sunt ligas, quæ solvenda sunt solvas.* Cæterum annulus Episcopalis ex auro puro solide conflatus constat cum gemma pretiosiori in qua nihil sculpti esse debet. *Hæc Synodus Mediolanensis de Supellectili Ecclesiæ.* At receptum Episcopos annulum in indice manus dextræ, idque putatur institutum tum Hebræorum exemplo *Jerem. 22. Etiamsi Iechonia annulus fueris in manu mea dextra, inde evellam illum,* tum etiam quod digitus Index Salutaris dicatur. *Suetonius in Augusto c. 80. Trebellius Pollio in vita M. Septimii.* Salutatis vero appellatur, quia Silentium indicat. *Apulei. lib 1. Metam Mæsia. Capell. de nuptiis Philologiæ, Alexand. ab Alexan. Gendier. lib. 4. c. final. Guilielmus Minatensis Episcop. in Rational. Divin. offic. De annulo lib. 3.*

16 Mos fuit veterum † gerere annulum in digito sinistræ manus, qui est minimo proximus, ratio una *Macrobii*, Quia in eo digito gemma annuli ab omni læsione esset tutissima, *lib. 7. Saturn. c. 13.*

Romani

Romani hunc digitum *Annularum* seu *Medicum* nuncupant. Illo enim, quum veniam poscimus à diis locum, Nemesios (quæ Dea ultrix malorum fuit, fautrix vero bonorum) post aurem, dextram obsignamus. Ipsa enim *Rhamnusia* dicta ibi locum venerationis habet. Rhamnes enim à Marathone haud plus sexaginta stadiis abest, ubi Nemesis phanum memoratur præcipuum, ab Adrasco ædificatum, cujus simulacrum altera manu fraxineum ramum, altera phialam gestat, quem locum, qui eam venerantur, attingunt, quum in ipsa aure memoriæ locus sit. Hunc digitum Ægyptii tanquam sacrum multis odoribus delibutum habere asseverant, habuisseque hoc proprium fertur, ut complicatus senarium, qui perfectissimus est, numerum designaret. Altera vero ratio, quare hunc digitum in sponsalibus annulo exornamus. Causam esse hujus rei *Appion, in libris Ægyptiacis*, hanc dicit: quod insectis apertisque humanis corporibus, ut mos in Ægypto fuit; quas Græci ἀνατομίας, id est, dissectiones appellant, repertum est nervum quendam tenuissimum ab eo uno digito, ad cor hominis pergere ac pervenire, propterea non inscitum visum esse eum digi-

digitum potissimum tali honore decorandum, qui continens & quasi connexus esse cum principatu cordis videretur. *Gell. noct. Attic. lib.* 10. *cap.* 10. *Porphyrion ad Horatium Serm.* 2. *Satyr.* 8. *Lemnius lib.* 2. *de occultis naturæ mirac. cap.* 11. Quam rationem commentitiam contendit *Anastasius Germonius lib.* 2. *animadverss. c.* 8. cujus rationibus facilè occurri potest, cum præsertim motum istum in parturientibus & lassitudine defatigatis, omnibusq; cordis affectibus manifesto percipiamus *secund. Io. Stephan. Durantium lib.* 2. *de ritib. Eccles. c.* 9. *nu.* 37.

17 Annulorum † sculpturæ variæ, primi enim saxi fragmentum ferro inclusum gemmæ loco gestasse feruntur: superior Aphricanus Sardonycem, quod sola gemmarum ceram non auferret Polycratis annulo celebratam. Lentulus aut figu-
18 ram Africani filius † atris effigiem insculpsit annulo. Augustus Octavius. Sphyngis, moximagine Magni Alexandri, nonnulli Harpocrate & Ægyptiis Diis usi sunt. Notaque est Pyrrhi gemma, in qua Apollo & Musæ cum suis insignibus non effictæ, sed nativa specie videbantur. Et annulus Syllæ in quo Jugurtha insculptus erat. Celebratur quoque rana Mecænatis & ensifer Leo Magni Pompeii in gemma.

Et

Et Seleuci annulus fatalis in quo anchora efficta visebatur, cujus imago in femore posteris familiæ nativa apparuit. Sicut Thebis habere lanceam genitivis notis Satorum nomini & familia datum erat. Inter quos fertur in brachio Dacorum notam originis quarto quoq; partu regenerati. Præ cæteris autem magnis effertur laudibus Nonii Senatoris annulus, gemma XX. millibus sestertiis taxata, propter quam ab Antonio proscriptus erat: Proditumque memoriæ est Mauritanorum familiam hoc habuisse proprium, ut Magni Alexandri imagines tam viri quam fœminæ in annulis deferant, & reliqua supellectile effictas. Ipse tamen devicto Dario, quas destinabat in Asiam litteras, Darii annulo imprimebat, quas vero in Europam suo. Quibusdam vero Epicuri imagines non in annulis modo, sed & in poculis habere magnæ curæ fuit, hoc fausti ominis generi, & nomini suo esse arbitrati.

Claudii vero Cæsaris principatu compertum est, non gemma signare, sed auro, quod violare signis gemmas nefas ducerent. Quomodo Commodus Imperat. Signo Amazoniæ signasse dicitur, donec secutis temporibus passim id insigne appeti cœpit.

Quia

19 Quia damnatis † quandoque adimuntur bona, *Spartianus in Adriano l. 1. de jure fisci*, quandoque non adimuntur & dimidia pars liberis reservatur, aut si plures sint liberi omnia & pannicularia cedunt Spiculatoribus. Derogat tamen jus Authenticum *l. bona C. de bonis damnatorum.* Pannicularia non confiscantur, id est panni & vestimenta, quibus indutus est reus, cum ad supplicium ducitur, sed præsides ea in utilitatem officii impendere debent *l. Divis eod. tit.* Sed hæc spolia non nisi damnato reo jam adimenda sunt *l. 2. eod. tit.* Quod autem de indumentis dicitur, sic accipitur, ut si damnatus gemmam habuerit magni pretii, eam capiat præses ut pannicularia, aut si zonam circum se habuerit, in qua pecunia posita sit. Sic enim erat mos veterum, ut in zonis pecuniam gestarent. Unde *zonarii sectores* dicuntur, *Plauto Crumenisecæ.* Quo etiam pertinet *illud Horatianum, ibit eo quovis, qui zonam perdidit.* Leves sane annuli in ratione *panniculariæ* numerantur.

20 Apud Persas donari annulo † à rege, amicitiæ signum erat, eo argumento illos in intimam sodalitatem & vinculum maximi fœderis admittere significantes. Athenienſibus autem etiam servis nequissimis

simis ferreo annulo signare permittitur, sicut Babyloniis, qui annulo signatorio utuntur omnes. Apud Cattos licet fortissimus quisque annulum ferret, ignominiæ hoc ducebatur loco, tanquam vinculo nexus erat, nisi aliqua hostili cæde eo se exoluisset. Carthaginenses pro numero expeditionum milites donabant annulis pluribus. Nec fuerit alienum meminisse, Heliogabalum singulis diebus novos variasse annulos, eundemque nunquam bis induisse. Atque Apollonium Thyaneum annulos ab Jarcha dono datos, instar numinis habuisse, ita ut singulis diebus per vices variatis maximorum secretorum particeps fieret.

Plinius lib. 33. cap. scribit morientibus † & somno gravatis de religione qua- 21
dam annulos detrahi solere. Hinc *Suetonius Tranquill. in Tiberio cap. 73. Alii*, inquit, *in remissione fortuitæ febris cibum desideranti negantium: nonnulli pulvinum, injectum, quum extractum sibi perficienti annulum mox resipiscens requisivisset. Seneca tum scribit intellecta defectione exemptum annulum, quasi alicui traditurum paumper tenuisse, dein rursum aptasse digito & compressa sinistra manu diu jacuisse immobilem. Huc usque Suetonius.*

Hunc

Hunc locum explanans *Beroaldus*, inquit, Annulum solitum tradi à morte proximis illi, quem hæredem habere volebant, quod comprobat exemplo Alexandri Magni, qui moribundus detractum annulum digito Perdicæ tradidit, tanquam id signum foret declarandi, quem vellet successorem, seu cui mallet regnum commendare, ejusque tutelam, sicuti scribit *Æmilius Probus*, seu ut alij, *Cornelius Nepos in vita Eumenis*. Addatur & authoritas *Valerii Maximi lib. 7. cap. 9.* ubi ait, Q. Cecilium annulos morientem L. Lucullo tanquam hæredi tradidisse. Quod & M. Popilium Oppio Gallo itentidem feciſſe paulo infra tradidit *Levinius Torrentius in hujus loci explanatione.*

Verum neutrum horum Interpretum hujus loci genuinum sensum assecutum fuisse, vult *Marcellus Donatus in C. Sueton. Tranquill. dilucidat.* Rom. Imper. enim & principes viros olim annulos signatorios digito gestare consueviſſe in Augusto demonstravit, quibus non modo Scripturas magnificiendas signabant, sed & pecuniarum, gemmarum ac reliquarum rerum pretiosarum scrinia ea continentia signare solebant, nec alicui non nisi probatæ fidei & spectatæ credere consueverunt,

runt, quod facile comprobari potest præsertim *ex Livio lib. 27.* ubi tradit: *Quum Marcellus & Crispinus consules cum Annibale infelici pugna conflixissent, quod interempto Marcello Crispinus Pœni Ducis dolos metuens, qui non solum corpore Marcelli, sed & illius annulo signatorio potitus fuerat, civitatibus proximis misit nuncios, admonefaciens ne Marcelli litteris nomine compositis fraude deciperentur.* Ita *Cicero in Epist. ad Q. Fratrem* eum admonet, curam annuli sui signatorij tanquam suimet curam habeat, inquiens: *Sit annulus tuus non ut vas aliquod, sed tanquam ipse tu.* Ita *Plinius loco citato à Torrentio* de annulo seu sigillatorio verba faciens inquit: *Digito minimo unum annulum vidi, quo signanda signent, conditurque ille, ut res rara, demumque ut plurimum opum, ita scelera annulis fiunt. Quæ fuit illa priscorum vita, qualis innocentia, in qua nihil fingebatur. At nunc ibi cibi potusque vindicantur annulo à rapina. Nunc rapiendæ comparantur epulæ patiterque, qui rapiat eas, sed & claves quoque ipsas signare non est satis, gravatis somno aut morientibus annuli detrahuntur.* Ex quibus clare patet, non superstitione aliqua morientibus annulum detrahi solitum, sed vel fraudis committendæ aut evitandæ gratia, quod manifeste colligitur ex *Valerio Maximo,*

supra

supra citato loco, ubi ait M. Popilium Oppio Gallo moribundum annulos tradidisse, ne quid ex hæreditate amitteret. Ex quibus intelligitur sensus verborum *Suetonii*, extractum esse annulum Tiberio morienti ab assidentibus, vel ut custodirent, neque eo abuterentur, vel ut resignatis scriniis illa rursus obsignarent. Quam sententiam & magis confirmat, quod *ex Seneca subdit Suetonius*, Tiberium exemptum annulum, quasi alicui (nempe confidenti) traditurum parumper tenuisse, dein rursum aptasse digito, & compressa sinistra manu jacuisse diu immobilem, quum videlicet nullum præsentem videret, cujus fidei annulum mandare posset. Addit *Marcellus* pro suæ sententiæ confirmatione & *Beroaldi* confutatione, nulla opus fuisse annuli traditione alicui ad declarandum hæredem, quum ante biennium hæredem fecisset, quod *ex postremo capite à Sueton. traditum* legitur.

22 Sed & annuli † traditio hæredis institutionem quodammodo arguit. Exemplum allegat *Cypreus apud Valer. Max. lib. 7. cap. 90. de sponsalib. cap. 11. n. 6.* Itaque Quinti Luculli testamentum rescissum fuit, qui semper præ se tulit Lucium Lucullum filium adoptivum sibi hæredem fore,

cui

cui moriens etiam annulos suos tradidisset, & tamen alium Pomponium Atticum testamento adoptasset, ideoque & pop. Romanus cadaver resti apstrictum per viam traxit. *Et c.* 794. Marcus Popilius Oppio Gallo moriens annulos tradit, quasi hæreditatis, ut omnes putabant, sibi relictæ futuros testes. Quamvis Popilius ea intentione tradidisset, ne quid ex ea hæreditate amitteret, quam non erat aditurus, & *Trogus Pompejus lib.* 12. *de Alexandro* M. *Sexto*, inquit, *die præcluſa voce exemptum digito annulum Perdicæ tradidit, quæ res gliſcentem amicorum diſſenſionem ſedavit. Nam etſi non voce nuncupatus hæres, judicio tamen electus videbatur.* Q. *Curtius lib* 10. Et *Diodor. Siculus de rebus geſtis Alexandri.* Etsi autem † annuli traditio præ- 23
sumptionem maximam inducit, tamen nisi alia accedant, indicia sola efficax non est ad plenam probationem, idque colligere licet *ex dictis.* Nam & Q. Lucullus & M. Popilius annulos tradiderunt hic Oppio Gallo, ille Lucio Lucullo, quos tamen hæredes esse noluerunt, idemque *ex c.* 793. *libet lib.* 7. *ejusdem Valerii Maximi*, cujus hæc sunt verba: T. *Barrulus L. Lentulo Spinteri cujus amantiſſimum animum, liberaliſſimamque ſenſerat amicitiam, decedens ſuos annulos, perinde atque*

unico hæredi tradidit, quem nulla ex parte reliquerat. Et *ex l. cum pater. §. pater plu-*
24 *ribus de leg. 2.* colligitur ſimplicem † clavium & annuli traditionem, quæ cuſtodiæ tantum cauſa fiebat, nihil juris ei, qui illos accepit tribuere, ſed commune filiorum negocium geri: eam opinionem tenet etiam *Duarenus in Tit. Qui teſtam. fac. poſſ. §. De nuncupativo Teſtamento.*

25 Porro annulos † quoque morientibus detrahi ſolitos diſcimus *à Plinio*, qui *lib. 33. cap. 1, circa finem, Gravatis ſomno*, inquit, *aut morientibus religione quadam annuli detrahuntur.* Exemplum ſupradicto in Tiberio. Nec enim audiendi, qui Tiberium id mutandi hæredis cauſa feciſſe cenſent. Nam etſi quidem veterum conſuetudo erat annuli traditione hæredem & ſucceſſorem deſignare, hic tamen annulorum traditio id efficere non potuit exſtante ſcilicet teſtamento, & quod religione quadam factum ſit, intelligitur ex Æl. Spartiano, qui annuli ſponte de digito caſum inter ſigna mortis Hadriano Imperatori oblata retulit: *Signa mortis*, inquit, *hæc habuit, Annulus in quo imago ejus ſculpta erat, ſponte de digito delapſus eſt.* Forte autem ideo detrahebantur annuli, ne in pollinctorum manus pervenirent. Nam poſt

reddi-

redditos iterum digito & una cum cadavere combustos, non obscure indicat *Propert. lib. 4. eleg. Sunt aliquid, &c.*

Et solitum digito Beryllon adederat igni.

Addam hic memorabile hocce exemplum Coloniæ Agrippinæ ad SS Apostolos in tabula depictum. Sub Episcopo Wilhelmo de domo nobilium de Gennep, mulier quædam nomine Richemodis peste obiit anno 1357. cui maritus ob conjugalis amoris vinculum sponsalitium annulum digito reliquit, quem vespillo animadvertens, noctu cum famulo suo accessit ad bustum, idque aperuit, servus descendit, annulumque detrahere voluit, quo facto mulier erexit sese, vespillo & famulus relicta lucerna aufugere, mulier ea sumpta domum adiit suam, quam maritus viso annulo intromisit, ex eaque tres adhuc filios suscepit. Testatur *Petrus Merssæus in Catalogo Episcop. Colonienss.* vidi ego tabellam quum superioribus annis Coloniæ legerem, & citavi *lib. de Miracul. mortuorum. part. 2. c. 16.*

Annulus in luctu mutatos videre est 27
Suetonio, qui Augusto mortuo quosdam censuisse tradit, Exsequiarum die ponendos aureos annulos ferreosque

sumendos. Quo pertinet Epigramma C. *Climii Mecænatis in Horatium, quod est apud Isidorum lib. 19. c. 32.*

Lugens te, mea vita, nec Smaragdos,
Beryllos, neque Flacce, nec nitentes.
Semper candida quæro margaritas:
Nec quos Thynica lima perpolivit
Anellos, nec Iaspios lapillos.

28 Cum Carolus Neapolitanorum † rex victoria potitus fuisset adversus Conradinum Neapolitanum principem, ipse agasonis sumpto habitu, aufugiens, retento in digitis annulo pretiosissimo incautus sese prodidit, non agasonem, sed magnum principem: Piscator enim ex gemma simulatam credidit personam; atque ideo captus etiam ultimo supplicio capitis absciſſione publice Neapoli mulctatus est. Peperit igitur annuli affectata gloria Domino suo summam ignominiam simul cum vitæ interitu.

Refertur de Polycrate Samiorum Tyranno, cui nil concupitum, nil speratum unquam fortuna negavit, adeo ut aliquando ei in mentem veniret experiri velle aliquod incommodum, si posset: Eam ob rem gratum sibi annulum in profundum maris abjecit, sed inimica illi sors effecit,

cit, ut captus piſcis, qui eum devoraverat, ad ipſius Polycratis † culinam in ob- 29
ſonium deferretur: ex quo inventus eſt annulus, ſed non diu poſt ille cruci affictus eſt.

Annulus Pyrrhi † regis, qui adverſus 30
Romanos bella geſſit, non ignobilis famæ fuit, cujus gemma Achates erat, in quo novem Muſæ cum inſignibus ſuis & apollo tenens Cytharam videbantur, non impreſſis figuris, ſed ingenitis. *Solin. cap.* 11. *Plin. lib.* 37. *c.* 1.

Apud *Platonem* legimus Gygi ‡ Ly- 31
dorum regi annulum fruiſſe mirandæ ac inuſitatæ virtutis, cujus ſigillum cum ille in palmam convertiſſet, à nullo videbatur, ipſe omnia videns: qua annuli opportunitate fretus, reginæ ſtuprum intulit, regem dominum occidit, & quoſcunque ſibi obſtare arbitrabatur interemit, atque in his eum facinoribus nullus videre poterat, tandem eo annuli beneficio rex Lydiæ factus eſt.

Annuli quoque quos † ſemper magni- 32
fecit antiquitas, quando opportunè fabricantur, etiam in nobis promunt virtutem, ut tradit *Agrippa in lib.* 1. *de occulta Philoſ. c.* 47. quatenus geſtantem ejuſque ſpiritum efficiunt lætum, vel triſtem, manſuetum vel terribilem, audacem vel

timidum, amabilem vel odioſum: etiam quatenus muniunt nos contra ægritudines, venena, hoſtes, cacodæmones, & contra quævis alia noxia, vel nos obligant eiſdem. Modus autem conſtruendi
33 † annulos ejuſmodi, talis eſt, quando videlicet ſtella aliqua aſcendit fortunata, & à Luna feliciter aſpecta, vel ſibi conjuncta, debemus lapidem herbamque huic ſtellæ ſubditam accipere, atque annulum ex metallo huic ſtellæ conformi fabricare, & in eo lapillum infigere, herba vel radice ſubjecta. Denique inſcriptiones imaginum, nominum, præterea ſuffumigationes non prætermittere. Sic legimus apud *Philoſtratum* Jarcham Sapientum Jndorum principem, ſeptem annulos hac lege confectos, & ſeptem Planetarum virtutibus ac nominibus inſignitos tradidiſſe Apollonio, quos ille ſingulis diebus ſingulos guſtaverit, juxta dierum nomina diſtinguens, quorum beneficio ipſe ſupra annum centiſimum ac triceſimum vixerit, inſuper & inventæ nitorem ſemper retinens. Simili modo Moſes Hebræorum legiſlator ac Princeps in Ægypto magia imbutus, annulos amoris & oblivionis confeciſſe legitur apud *Joſephum*. Erat etiam narrante *Ariſtotele* apud Cireneos annulus Batti gratitudinis

dinis atque honoris habens argumentum. Legimus insuper Eudamum quendam Philosophum annulos contra serpentum morsus, fascinationes atq; dæmonia confeciſſe. Idem de Salomone narrat *Ioſephus*.

HENRICI KORNMANNI ex Kirchaina Chattorum.

DE ANNULO SPONSALITIO.

Pars Secunda.

SUMMARIA.

1 *Annulus ſponſalitius.*
2 *Annulus promubus.*
3 *Annuli datio deſponſationis eſt argumentum.*
4 *Annuli datio probat ſponſalia.*
5 *Annuli geſtatio aliquam præſumptionem pro ſponſalibus parit.*
6 *Annulus quæ ratione detur in deſponſatione.*
7 *Annuli traditio ſolæ quomodo ſponſalia conſtituere poßit.*

8 *Annulum se accepisse in causam matrimonii neganti juramentum purgationis imponitur.*

9 *Annulus à sacerdote datus præsumptionem pro matrimonio parit.*

10 *Annulum desponsationis accipit à Christo virgo quædam sancta.*

11 *Annulos gestare Romanis mulieribus non licuit præterquam sponsis.*

12 *Annulus nuptialis cur quarto digito inseritur.*

13 *De annulo Ducis Venetorum.*

14 *De annulo Doctoris.*

15 *De annulo Veneris.*

1 ROmani in contrahendis nuptiis † annulos ut plurimum usurparunt, idque colligitur *ex Iuvenale*, cujus hi sunt versus:

Conventum tamen, & pactum & sponsalia nostra.
Tempestate para, jamque à Tonsore Magistro
Pectoris & digito pignus fortasse dedisti
Certè sanus eras. ——

Et apud *Plautum* in ancilla conciliatrix heræ nomine militi annulū tradit his verbis:

Hunc

Hunc annulum à tui cupiente huc detuli, porro
Ab illa quæ digitos despoliat suos & tuos digitos decorat.

Idem *ex multis Iuris civilis locis* deprehenditur, *l. si donatæ. §. ult. de donat. inter virem & uxorem* ubi sponsus alienum annulum sponsæ misisse dicitur. *Harmenop. lib. 4. t. 2.* Scribit *Plinius lib. 33.* Tum apud Romanos vir ferreum annulum sine gemma dedit mulieri seu sponsæ. Gemma aberat, ut rei describeret simplicitatem. Materia ad constantiam spectabat. Forma annuli ad perpetuam conjunctionem. Contra sponsa ex tribus assibus, quorum unum in manu, alterum in pede, tertium in sacciperio, gestabat, primum sponso dabat, quasi sibi illum illo pretio coemptum esset habitura. Alterum in foco Dis Laribus deponebat, quem & igni luculento & corollis sua manu plexis, ut ait *Plautus* augebat. *Scalig. lib. 3. Poët. c. 101.*

Annulus autem ille pronubus 1 appellabatur, *Tertull. de cultu fœminar.* & annulus fidei, ut eum appellat *Nicolaus Pontifex. Postquam*, inquit, *arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei annulo insignitum desponderit cap. nostrates 30 q. 5. Alexand. ab Alexand. Gen. dier. l. 2. c. 5. & c. 19.* 2

3 Annuli datio vel † missio præcedente tractatu amoris honesti desponsationis est argumentum & indicium, *nor. gl. in c. tenor. de rejud. gl. c. final. de desponsat. impub. Hostiensis & alii c. 1. in verbo. Secundum morem terræ. de matrim. contra interd. Eccl. contract.* qui omnes volunt in dubio annuli missionem matrimonium præsumptum arguere & notare, quando alia adminicula concurrunt. Quo spectat. *l. fœmina. in fin. & ibi gl. 30. q. 5.* Etsi quidam illam missionem signum æquivocum æstimant. *Abbas. d. c. tenor.* Tamen cum alia
4 adminicula † concurrunt, præsumptionem non levem inducit *Zas. cons. 10. matrim.* & maxime si annulus sit alicujus pretij vel valoris *cons. 10. nu. 63.* & adolescens dicat se ad honestos actus annulum misisse, qui enim signum acceptat, etiam signatum amplecti videtur, *argumento l. stigmata. C. de fabricens. consil. Zasii. 72. & 12.* Interim tamen plenam probationem non facit, *Socin. consil. 39. part. 1. & Tuxzanus in opinionibus.*

Neque enim porrectione sola annuli sponsalia contrahuntur, nisi vocibus lingua figuratis id exprimatur, vel aliter significetur, annulum ea de causa dare, & illum mulier nomine sponsaliorum recipiat. *Aretinus consil. 17. Imola. c.*

Tenor.

Tenor. de re judicat. Ita *apud Terentium* Philumena deprehenditur & probatur Pamphili esse conjunx annuli beneficio, quem virgini bene potus detraxit, inde cognitio facta est virginem esse compressam, & filium ex ea natum, ut colligere licet *ex iis quæ leguntur Hecyr. act. 2. Scen. 3. & Act. 4. Scen. 1.*

Annuli † gestatio præsumptionem aliquam pro sponsalibus parit *c. illud. ubi notatur de præsumpt.* 5

Cur autem annuli † arrhæ loco dentur? *Bonfinius* hanc adfert rationem, quod duos animos hoc vinculo constringi putant, quia ejus rotunditas, quæ est infinita, designat, quod amor conjugum debet esse infinitus. *Isidorus* aliam adfert rationem *lib. 2. de divin. offic.* Quod in primis nuptiis annulus à sponso sponsæ datus sit, nimirum propter mutuæ dilectionis signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda conjungantur. Sed verius est majoris firmitatis gratia, & ut sit pignus, tessera vel Symbolum, signum incurrens in oculos & demonstrans eam puellam cui annulus traditur desponsam esse, idque ostendunt verba *Juvenalis:* 6

Et digito pignus fortasse dedisti.

Non tamen est intelligendum, quod hoc nec alia pompa matrimonialis consueta sit necessaria ad matrimonium; quia sufficit solus consensus, *gl. in §. disponat. in verb. nuptias. Circa fin. Auth. de nupt.* Imo in aliquibus locis tempore sponsalium solet verberari sponsus *gl. in l. cum inspeximus in verb, rapismata. C. de emancip. lib.* Prout Bononiæ ubi dant alapas. *gl. in Auth. constitutio. Quæ de dig. in verb. injuriis.* Puto vel in signum subjectionis, vel perditæ libertatis, juxta illum, qui clamabat: *Vxorem duxi, libertatem vendidi.* sive ut injicerent sponso illud *apud Lamprid. in Heliogabalo. Nupsit, & coiit, & ut pronubum haberet, qui clamaret: Concide Magire.* Et alios diversos ritus antiquorum in similibus enumerat *Valeriana. Freg. lib. 2. c. 1. de priscis institutionib. Sylva nuptial. lib. 3. nu. 13.*

Addunt tamen Doctores ut refert *Cyprœus de sponsal. c. 11. nu. 3.* si consuetu-
7 dine † receptum esset, ut annulus certa quadam figura insignitus ad constituenda sponsalia daretur, tunc etiã sine ullis verbis traditionem annuli solam sponsalia cõstituere *gl. c. fœminæ 3. q. 5. Parisius cons. 55. n. 43. Didacus 2. part. c. 4. nu. 3.* Quod tamen *Cyprœus* improbat, hanc ob causam,

ſam, quod in conſtituendis ſponſalibus recepta omnium gentium conſuetudine, quæ ratione nititur, verbá requirantur, niſi contra, qui contrahunt muti ſint, quibus ignoſcendum eſt. Ideoque ejusmodi ſigna, quæ nihil aliud ſunt, quam technæ & aucupia, quibus contrahentes in fraudem illiciuntur, quæque certitudine abſunt, ſufficere non exiſtimaverim. Quorſum enim hujuſmodi adminiculis utemur in ſponſalibus conſtituendis, quæ compendio ſermonis expediri poſſunt & debent. Nam ſicut oculos nobis dedit Deus, non ut ſpectemus voluptatemque capiamus, ſed ut videamus propter eos actus, quæ ſpectant ad vitæ neceſſitatem, ita linguam nulla alia de cauſa accepimus, niſi ut ea animi cogitata proloquamur & voluntatem noſtram in rebus magni momenti, quales hæ ſunt, declaremus, non ut ea ad obſcænitatem verborum abutamur.

Interim tamen ei, quæ negat ſe in eam cauſam ſe annulnm accepiſſe, juramentum purgationis imponi poſſe exiſtimat *Cypræus d. l. n.* 8. quia annuli diligenter obſervari & non niſi in negotiis maximi momenti tradi ſoleant. Itaque *M. Tullius ad Q. Fr. ſic neque temere annulus tuus*, inquit, *non ut vas aliquod, ſed tanquam* 8

tanquam ipse tu, non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ: Vas τὸ σκεῦος, id est, supellectilis instrumentum, ut recte *Fornerius* interpretatur *l. 74. Signatorius annulus, ff. de verbor. signif.* quasi dicat eum annulum non temere instar cujusdam vasis aut supellectilis, aliis utendum dare debere, sed sibi cum servare veluti testem suæ voluntatis. Itaque Q. Sempronius, cum comperisset Annibalem annulum Martelli collegæ in prælio interfecti nactum esse, sciretque quantum in ea re momenti esset, municipes Italiæ certiores fecit, ne crederent Epistolis, si quæ Martelli manu obsignatæ perferrentur. *Livius. Sextus Iulius Frontinus lib. 5. stratagem.*

9 A sacerdote † datus annulus matrimonij præsumptionem inducit, *gl. c. fœminæ. 30. q. 5. in verbo Annulus.*

10 Romæ mulieribus † non licuit gestare annulos aureos, præterquam illis, quæ sponsæ essent, idque *ex Tertulliano* colligitur, cujus hæc sunt verba: *Circa fœminas etiam illa majorum instituta ceciderunt, qua modestiæ quasi patrocinabantur, cum aurum nulla norat, præter uno digito quem sponsus oppignoraſſet, pronubo annulo: in Apologet.* Et *Clemens lib. 3. Pædagog. c. 11.* idem tradit *Isidorus lib. 20.*

Fœminæ

Fœminæ non usæ sunt annulis, nisi quas virgini sponsus miserat, neque amplius, quam binos aureos in digitis solebant habere, hodie commune tum apud rusticas, tum apud civitatenses puellas gestare annulos.

Cur autem quarto digito, quem etiam idcirco † annularem & medicinalem dicunt, *Gell. lib.* 10. *c.* 10. inferatur annulus, quæri solet? Et supra responsum est. Existimarunt enim veteres id ideo fieri, quod in eo vena quædam exstat, quæ ad cor protendatur, & qua veluti duce mutuus amor ad cordis ima penetraret. *Macrob. lib.* 7. *c.* 13. *ex Appione & Atteio Capitone.* Sed ut refert *Cypræus, d. c.* 11. *nu.* 6. Medici recentiores & *Vesalius* nullam illic venam neque majorem, neque illustriorem aliquam, quam in reliquis digitis reperiri, quæ ad cor perveniat, docent: & verisimile est, inquit, quod quibusdam placuisse video nuptialem annulum ideo siniſtra manu latum fuisse, ne usu atteretur, vel quod ipsi magis verisimile est, ne manui dextræ, quæ semper agendo occupata est, impedimento annulus esset, ejusque usum remoraretur. Digito autem minimo proximo ea de causa etiam insertum existimat annulum, quod is inter alios mini- 11

minimum sit occupatus,& quodammodo ociosus,sive scribat quis, sive aliud opus manu faciat. Idque res ipsa ostendit. *Macrob. lib.7. cap.* 13. his verbis: *Postea usus luxuriantis ætatis signaturas preciosis gemmis cœpit insculpere, & certatim hæc omnis imitatio lacessivit,ut de augmento pretii quo sculpendo lapides parassent, gloriarentur. Hinc factum, ut usus annulorum exemptus dextræ,quæ multum negociorum gerit, in lævam relegaretur, quæ ociosior est, ne crebro motu & officio manus dextræ pretiosiores lapides frangerentur. Electus autem,* inquit, *ipsa læva digitus minimo proximis, quasi aptior cæteris,cui commendaretur annuli pretiositas. Nam pollex, qui nomen ab eo, quod pollet, accepit,nec in sinistra cessat, nec minus quam tota manus semper in officio est. Vnde & apud Græcos ἀντίχειρ,* inquit, *vocatur,quasi manus altera. Pollici vero vicinus nudus & sine tuitione alterius appositi videbatur. Nam pollex ita inferior est, ut vix radicem ejus excedat. Medium & minimum vitiaverunt,* inquit, *ut ineptos, alterum magnitudine, alterum brevitate, & electus est, qui ab utroque clauditur & minus officii gerit,& ideo servado annulo magis accommodatus. Ex Attejo Capitone Pontificii juris perito* refert *Macrobius.* Sinistra autem manu etiam superior ætas annulos ferre solita est, ne novum in-

inventum quis existimet. *Macrob. lib. 7. cap. 13.*

Galli vero & Britanni medio tantum annulos adjiciunt illum præcipuo honore excolentes. Græcis vero Medius non famosi nomen habet, sed medici. Digitis enim apud illos hæc indita nomina fuere: Δάκτυλος δείκτης, ἰατρὸς, δακτυλιώτης, ὠτίτης: ac si dicas, *Pollex, Index, Medicus, Annularis, Auricularis.*

Addo Mariam ut Judæorum habet Thalmuth, cum desponsata esset viro, ille eam subarrhavit annulo medio impositio digito, quum Iudæi indici imponunt annulum. Neque vero fœmina ulla inter Iudæos reperitur, quæ annulum portet in medio digito, ob eam causam, quia Maria, ut ajunt, illum postea portaverit in medio. Addo & hoc: Apud Hebræos novæ nuptæ dabatur annulus cum hac inscriptione מזל טוב Mazal Tob. *Bona fortuna, Bonus Planeta*: causam pro effectu ponentes.

12 Refert *Ioannes Nyder in Formicario lib. 1. c. 1.* historiam † de virgine accipiente à Christo annulum desponsationis, quo benevolum Lectorem selegit.

13 In festo Ascensionis Christi † Dux Venetus quotannis Bucentauro extra duo illa, quæ ad ingressum sinus sunt sibi invicem

cem opposita castella provectus, annulum in mare proiicit, & est indicium dominationis, quam hac arrha Senatus Venetus sibi despondet. Origo hujus cerimoniæ talis est: Alexandrum III. Pontif. M. Ottho Friderici Ahenobarbi filius armis ita persecutus est, ut Venetias profugere coactus fuerit, ubi in monasterio charitatis quum aliquandiu ignotus latitasset, tandem agnitus & honorifice inde eductus, Venetorum arma pro se atque Ecclesia prompta ac parata invenit. Gesto bello Otho à Venetis navali prælio victus & captivus Pontifici est oblatus. Tunc Duci Venetorum Sebastiano Ziano Pontifex annulum de manu sua detractum obtulit, dicens: *Auctoritate mea hoc annulo fretus Oceanum tibi subjicies, & quotannis tibi posterisque eo die, quo hanc victoriam pro Ecclesiæ defensione obtinuisti, desponsabis mare, uti sciant omnes, maris tibi Dominium concessum, quia sedis Apostolicæ tuendæ curam & studium fideliter suscepisti. Sit hoc tibi quasi pignus benedictionis & secundæ sortis in futurum.* Narrat hæc *Villamontanus lib. 1. peregrin. sua c. 34.* & prior ille *Sabellicus decad. 1. lib. 7.* videat lector aliam rationem *in Monte Veneris*, qui proximò parturiet.

Et

Et est annulus † insigne doctorale, de quo 14
can. 30. quæstio 5. cap. fœminæ.

Narrat ex *Vincentio Belluacensi D. Antonius p. 2. Sum. hist. t. 16. cap. 7. § 4.* Romæ † temporibus Henrici III. Imp. fuisse 15
juvenem quendam locupletem & nobilem, qui recens uxorem duxerat, & sodales suos opiparo convivio nupriali exceperat. Exivere in campum à prandio lusuri pila. Sponsus ludi dux, pilam posuit, & ne excideret annulus sponsalitius infetit eum digito statuæ Veneris æreæ, quæ in proximo erat, omnes unum petebant, sic cito defatigatus ipse à ludo secessit, & ad statuam rediit, annulum recepturus. Ecce videt digitum statuæ usq; ad volam manus recurvatum, & quantumvis conatus annulum recuperare, nec digitum inflectere, nec annulum valuit extrahere. Redit ad sodales, nec illis ea de re quicquam indicavit. Nocte intempesta cum famulo ad statuam revertitur, & extensum ut initio digitum regerit, sed sine annulo, jactura dissimulata domum se confert ad novam nuptam. Cumque thorum genialem ingressus, sponsæ se jungere vellet, sensit impediri sese, & quoddam nebulosum ac densum inter suum conjugisque corpus volutari, sentiebat id tactu, videre tamen nequibat, hoc obsta-

culo

culo ab amplexu prohibetur. audiebat etiam vocem dicentem: *Mecum concumbe, quia hodie me desponsasti. Ego sum Venus, cui digito annulum inservisti, nec reddam.* Territus ille tanto prodigio (inquit *Antonin.*) nihil referre ausus est vel potuit, insomnem duxit noctem illam, multum secum deliberans. Sic factum est per multum tempus, ut quacunq; hora cum sponsa concumbere vellet, illud idem sentiret & audiret. Erat sane alias valens & domi aptus & militiæ. Tandem uxoris querelis commonitus rem parentibus detulit. Illi habito concilio Palumbo cuidam, Presbytero suburbano rem pandunt. Is autem erat Necromanticus & in maleficiis potens. Illectus ergo promissis multis, compositam epistolam dedit juveni, dicens: *Vade illa hora noctis ad compitum, ubi quatuor viæ conveniunt, & stans tacitè considera. Transient ibi figuræ hominum utriusque sexus, omnisque ætatis & conditionis, equites & pedites, quidam læti, & quidam tristes: quicquid audieris, non loqueris: sequitur illam turbam quidam statura procerior, formâ corpulentior, curru sedens. Huic tacitus epistolam trades legendam, statimque fiet, quod postulas.* Ille autem juvenis totum implevit, prout edoctus erat. Viditque inter cæteros ibi mulierem in habitu meretricio,

cio, mulum inequitantem crine soluto per humeros jactato, vitta aurea superius constricta, auream virgam gerentem in manibus qua mulum regebat, præ tenuitate vestium penè nuda apparebat, gestus exsequens impudicos. Ultimus dominus turbæ terribiles in juvenem oculos exacuens, ab axe superbo Smaragdis & unionibus composito, causas viæ ab eo exquirebat. Nihil ille contra, sed portensa manu epistolam ei porrigit. Dæmon notum sigillum non audens contemnere, legit scriptum: moxque brachiis in cœlum elevatis: *Deus*, inquit, *omnipotens, quamdiu patieris nequitias Palumbi presbyteri?* Nec mora, satellites suos à latere mittit, qui annulum extorquerent à Venere. Illa multum tergiversata, vix tandem reddidit. Ita juvenis voti compos sine obstaculo potitus est diu suspiratis amoribus. Palumbus autem, ubi dæmonis clamorem ad Deum audivit de se, intellexit sibi præsignari finem dierum. Quocirca omnibus membris ultro truncatis miserabili pœna defunctus est, confessus coram populo Romano inaudita flagitia.

HEN-

HENRICI KORNMANNI
ex Kirchaina Chattorum,

DE ANNULO SIGNATORIO.

Pars Prima.

SUMMARIA.

1 *Annulus Signatorius.*
2 *De usu annuli Signatorii.*
3 *Annulos Signatorios Romani Impp. olim & Principes viri digito gestabant & quo fine.*
4 *Annulos Signatorios plures antiquitus Principes habuisse & qua de causa, quorumque curæ commissos.*
5 *Annuli Signatorii in hostium potestate positi quanta cura habenda.*
6 *Annulus Signatorius num importet credulitatem & fidem.*

7. *Num*

7 *Num annulus præcisè requiratur ad instrumenti confectionem.*

8 *Num alter alterius in defectu signo uti possit.*

9 *Annulo alieno, qui utitur in subscriptione, hoc exprimere debet.*

10 *De Recognitione sigilli.*

11 *Aperiens & desigillans alienas litteras incidit in crimen falsi.*

12 *Num contineatur annulus signatorius inter ornamenta.*

13 *Vtrum quis posit sibi assumere insignia.*

14 *Vtrum insignia alterius posit quis sibi assumere.*

15 *Num liceat mutare sigillum.*

16 *Num spurii possint gerere insignia patrum.*

17 *Num expositi sicut nutritorum nomina assumunt, ita & insignia.*

18 *De Annulo Piscatorio, & cur Paulus ad dextram Petri in signo signatus conspiciatur.*

SAne antiqui & litteras † & arcus, & cellas vinarias aliaque similia annulo obsignabant, inde Signatorius annulus, *l. Signatorius, ff. de verb. signif. Budæus lib.* 1

lib. 3. De Asse, ex Plinio docet Romæ olim annulos non ornamenti causa, sed signandi institutos. Plura de annulo Signatorio *lib. 1. Reg. cap. 21. Esther cap. 3. & 8. Daniel. c. 6. & 14. l. Ad testium. ff. de testibus. §. possunt de testam. in Instit. Livius lib. 7. Decad. 3. Sueton. in Augusto. Dion. in Galba. Apul. lib. 10. de asino, & alii innumeri. Alex. ab Alexand. Gen. dier. lib. 2. c. 19.*

2 Usus ejus † antiquissimus creditur statim cum contractibus inter homines ortus, ut confirmationem & robur rei inter homines actæ & contractæ adderet. Cum enim vita hominis mortalis & caduca sit, ne cum ipsa morte omnes actus ejus perirent, sed post mortem etiam de ipsius rebus gestis & voluntate constaret, *argum. l. 1. de ff. testam.* Sigillum inventum fuit. Est autem signare, signis impressis pacta conventaque custodire, ut *Seneca* tradit, seu aliquam formam, vel signum alicui imprimere, vel notam imponere. Unde testamentum signare, id est, notare debet quis, ut notum sit illud, quod in testamento scriptum est. *Isidor. lib. 5. Ethic.* Licitum autem cuilibet sibi signum sumere quod volebat, ad designandam & testandam suam voluntatem, vel quod esset congruum suo nomini vel rebus. Hinc Octavius Augustus Imp. ob taciturnitatem

tem Sphinge loco signi aliquantisper usus fuit, quæ etiam adhuc ante ostium Ponti Euxini, quo in Bosphorum se exonerat, in altera Symplegadum Insula in columna veteri ex albo marmore conspicitur cum hac inscriptione: DIVO CÆSARI AUGUSTO L. CLANNIDIUS L. F. CLA. PONTO. sicut *Leunclavius* tanquam αὐτόπτης notavit *Pandectis Turcicis*. Hanc tamen, quum Augustus dicteriis lacesseretur, *teste Plinio*, propter difficultatem ænigmatum, quibus sua Sphynx interdum erat instructa, nato subinde proverbio & calumnia: *Mirum non videri, si renata Sphynx non adferret Ænygmata*; Postea repudiavit, deinde Alexandri postremo corroborato Imperio, sua genuina imagine assumpta. Quo genere deinceps Tiberius Caligula, Claudius Domitianus, & alii Cæss. usi sunt. Hodie impetrantur & cõceduntur à Principe, id est, Romano Imper. qui pro ratione & merito arma & insignia cum suis coloribus tanquam signa virtutum & heroicorum gestorum distribuit, diplomatibus roborat & confirmat, rescriptis renovat & auget, aut ab iis, qui potestatem à Cæsar. Majest. habent, quales sunt Comites Palatini, Aulæ Cæsareæ & Palatii Lateranensis, &c.

3 Romani Imperatores & † Principes viri olim annulos signatorios digito gestare consuevere, quibus non modo scripturas magnifaciendas signabant, sed & pecuniarum, gemmarum ac reliquarum rerum pretiosarum scrinia ea continentia signare solebant, nec alicui non nisi probatæ fidei & spectatæ credere consueverant: & habebant † annulos signatorios plures, nempe quosdam, quibus Epistolas & acta publica obsignarent, quorum illi, qui à Secretis vel à Libellis & Epistolis apud ipsos erant, curam habebant: Alios vero, quos digitis propriis gestabant assiduè, quibus secretiores scripturas, gemmarum, pecuniæ ac aliarum pretiosarum rerum artes obsignabant. Signatorii hujus annuli mentio fit *apud* JC. *l. signatorius* 74. *ff. de verb. sign. & l. Argum. §. ornamenta. ff. de auro & argent. legat.*

Hujusmodi signatorii annuli non semel fit mentio in sacris paginis, nempe *in Genes. cap.* 41. ubi de Pharaone dicente ad Ioseph. *Ecce constitui te super omnem terram Ægypti, tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus.* Et 3. *Reg. cap.* 21. ubi de Jezabel: *Scribit itaque litteras ex nomine Achab, & signavit eas annulo ejus.* Et *Esther cap.* 3. ubi de Assuero: *Tulit ergo rex annulum, quo utebatur d*

4

man

manu sua, & dedit ei Aman, quo litteræ scriptæ ad universos satrapas obsignatæ sunt. Et c. 3. *Tulit rex annulum, quem ab Aman recipi jusserat, & tradidit Mardochæo, qui constitutus est propter domum illius.* Et Daniel. 6. cap. ubi de Dario rege. *Allatusque est lapis unus & positus est super os saxi, quem obsignavit rex annulo suo & annulo optimatum suorum.* Et 1. Macchab. 6. de Antiocho rege: *Et vocavit Philippum unum ex amicis ejus, & præposuit eum super universum regnum suum, & dedit ei diadema & stolam suam & annulum.* Sepulcrum Salvatoris obsignabatur sigillo, *Matth. 27. v. ult.* Et *Tacitus lib. Annal. 7.* de Venone Rege Parthis dato ab Augusto: *Irridebant & Græci comites ac vilissima utensilium annulo clausa.*

Livius lib. 27. Quum Marcellus & Crispinus Coss. cum Hannibale † infelici pugna conflixissent, quod interempto Marcello Crispinus Pœni Ducis dolos metuens, qui non solum corpore Marcelli, sed & illius annulo signatorio potitus fuerat, civitatibus proximis misit nuncios, admonefaciens, ne litteris Marcelli nomine compositis fraude deciperentur. 5

Cum ad † fidem faciendam introductus sit usus Sigilli, credulitatem etiam 6

importat, nam si creditur alicui scribenti, multo magis signanti. Hinc plerisque instrumentis, contractibus, testamentis additur: *Nostro solito Sigillo muniri fecimus*, utpote cum signationis subjectum & materia sit scriptura, expendit enim signatio ex fide testantis non materia signi, eoque cujus illud sit nihil refert *l. ad testium* 22. §. *signum* 5. C. *de testam. Wesemb. Instit. de testam.* §. *sed cum paulatim nu.* 7. Tum quia sunt paria subscribere vel subsignare, *Rom. cons.* 303. *hæc scriptura. nu.* 1. *&* 2. & Sigillum operetur ratificatione sigillantis, gl. *l.* 2. *verb. Conquisita.* C. *de rebus alien. non alien. Bald. cap.* 1. *num.* 6. *&* 7. *de pace Constantiæ. Rom. d. consil.* 303. *num.* 6. Idem dicendum erit in eo, qui sigillo suo contractum ratificavit, *Schurpff. consil.* 17. *centur.* 1. Dum tamen constet sigillum vel scripturam illius esse, *Dec. cap.* 2. *num.* 27. *de fid. instrumen. Cravett. de antiquit. temp. part.* 1. §. *viso. num.* 3. *&* §. *quæritur. num.* 26.

7 Quæritur num annulus † præcise requiratur ad instrumenti confectionem? Innuit id *text. Instit.* §. *possunt autem omnes*, ibi, *Et uno annulo signare testamentum. de testam.* annulo scilicet habente characteres, qui signatorius dicitur, si videlicet in eo sigillum, non autem alio signo,

signo, *d. l. ad testium. §. signum. ff. eodem. l. signatorius. l. subsignatum de verbor. significationib.* & id ideo, quia annulus, qui nimirum digito geritur, notus est, & diligentius custodiri solet, quam aliud signum. Quia tamen non observari usu Ulpiani sententiam videmus, necesse est aliud quodvis signum admittere, ut *Bart. d. §. signum.* & *Faber* censuerunt. Videmus enim plerosque hodie annuli loco alia signa habere ærea vel argentea, vel interdum linea, quibus sic fama redditur, ut annulo impressa videantur. *Mynsing. ad d. §. possunt.*

Num alter alterius in defectu, † signo uti possit? Innuit idem *præd. text.* ibi. *Omnes testes & uno annulo possunt signare testamentum, & alieno quoque annulo licet signare testamentum, instit. de testam.* Non enim omnes gerere solent aut habent sigilla, nec omnes scribere possunt, in iis casibus aliorum opera uti solent ad fidem faciendam, *l. si unus.* 12. *Cod. de testam.* Sed & etiamsi annulos ipsi habeant, qui omnes una sint sculptura, id est, unum & eundem habeant characterem. Ob id enim tantum adponuntur sigilla, ut ipsi testes illa cognoscentes testificari possint, *l. sed si quis* 7. *Quemadmodum testament. aper.* non ut unius signi ad alte-

8

rum fiat collatio, id quod in publicum officium gerentibus contingit, §. *oportet. Nov. de instrum. caut. & fid.* & §. *Lex Cornelia de publ. judic.* & ita præd. procedunt,
9 dum † tamen is, qui annulo alieno utitur, se alieno signare in subscriptione declaret, quod *ex Durandi sententia* cæteri approbarunt, *Specul. Tit. de probat.* §. *nunc videnda. vers. & nota. Bart. Angel. Imola, Paul. de Castro l. ad testium.* §. *si ab ipso. ff. de testam. Salicet. Rimin. & alii in l. si unus*, C. *de testam. Ludov. Zantus de formulis testam. nu.* 18. illa potissimum ratione, quod alienis utens insignibus in falsum incidat. *l. eos* 27. §. *fin. ad l. Cornel. de fals.* Et cum memoria hominis labilis sit, apertisque mortuo testatore tabulis signa agnoscere testes debeant, facile hic sit vacillaturus, qui alienum signum adposuit, nec id adscripsit. Si tamen hoc in subscriptione sit omissum, ob id testamentum non subverti *Faber* putat: cui accedit *Mynsi. d. loc.* cum id procul dubio non tacuissent leges, si ex eo testamentum vitiari voluissent. Verum quum leges aperte permittant alieno sigillo signare, signantis testis tamen nomen adscribi, & sic tacite quoque alterius sigilli sumptionem addi volunt, ob doli & fraudis suspicionem. Sed an si proprium quis annulum habeat,

beat, nihilominus alieno signare possit? Non videtur, frustra enim alieno signat, qui proprium habet, quia tamen nostros quandoque ad manus non habemus, puto cum lex indistincte alieno permittat signare, nec ob id quoque tabulas infirmari, *argum. l. 8. de pretio. de Publ. in rem actio.* Sed etsi ab ipso testatore annulum acceperit, & signaverit testamentum, valet, *d. l. ad testium. §. si ab ipso.* q. alieno signaverit.

Recognosci tamt subscriptiones quam 10
sigilla debent, quod sufficit, *l. cum ab initio. 4. ff. Quemadmodum testa, aper. l. comparationes. 20. C. de fide instrum. Mar. decis. 991.* An ipsius autem voluntate sigillum esse appositum præsumatur, donec contra probetur, disputationis est ●
apud Wesemb. Insiit. Quod cum eo. §. si igitur. num. 6. in quo fere concluditur, privatorum sigilla non præsumi voluntate ejus apposita, cujus sigillum est, nisi ea aliunde coarguatur, ut ex subscriptione, præsentia, &c. Cæterum principis, prælati, universitatis signa, quæ custodiuntur diligentius, intellige voluntate ipsorum apposita, *Panorm. cap. 2. num. 15. de fid. instrum. Bart. Abbas, Fulgos. Rom. Cast. l. si procuratorem. 65. ff. de procur. & Imol. l. 1. §. si quis neget. Quemadmodum testam. aper.*

aper. Alex. l. quæ dotis. 33. num. 38. fol. matr. Guid. Papa deciſ. Delphin 992. num. 1. Molin. in conſtit. Pariſ. tit. 1. §. 5. num. 14. Covarruv. pract. quæſt. 22. numer. 9. ſicut & præſumiter ultro & ſcienter ſubſcriptum, niſi deceptio vel error doceatur, *l. ſicut. 8. §. non videtur. quibus mod. pign. ſolvit. num. 10. in verſ. niſi manifeſtè appareat deceptum l. dolum, C. de dol. mal.* & quoniam ſubſcriptio vel ſigillatio non valet, niſi ab eo facta, qui ſcripturam legit, *Caſtrenſ. l. 1. numer. 8. ff. eodem. l. pen. verſ. fin. ubi gloſſ. ff. eodem.* ibi, *præſumitur quoque legiſſe & rem totam cognoviſſe, Caſtr. ibid. per l. non eſt conferendus 12. de tranſact.*

11 Aperiens & † deſigillans litteras alie-
● nas, ut illas oſtendat adverſario, committit crimen falſi. ita tenet *Bartol. in l. Titio. num. 3. ff. ad Municip.* Et eſt communis opinio, ut dicit *Aug. ad Angel. de malef. in verb. Falſario. num. 10.* quem refert *practica Conradi fol. 392. colum. 2. in princip.* Adde & è converſo, quod ſigillans litteras alieno ſigillo abſque expreſſa atteſtatione, incidit in pœnam falſi: vide *per Franc. Marc. quæſt. 974. per Bertachinum in ſuo Repertor. verb. ſigillatio. num. 7.*

12 Num contineatur annulus † ſignatorius

torius inter ornamenta? Videtur primo *per l.* 19. ibi: *cum aurum vel argentum legatum est, quicquid auri argentique relictum sit, legato continetur. ff. de auro, argento leg.* accedit §. 7. ibi. *an auri appellatione annuli aurei contineantur, quæritur.* & *Quintus Saturninus lib.* 10. ad edictum scribit contineri. *ff. eod.* Verum de annulo Signatorio negat JC. *Paulus in l. signatorius.* 74. *ff. de verbor. significat. & d. l.* 19. §. 7. ibi: *Sigilla argenti appellatione non continebuntur.* subnixus hac ratione, quod non ea ex causa videlicet ornamenti factus fuerit, sed ad signandum; ideoque non contineri, & licet aureus vel argenteus sit, nihil movet, cum accidens ejus, & cujuslibet rei principalis intentio inspici debet, ab eoque appellationem meriti, ut tradidi *in proœm. Instit. ad verb. semper Augustus.*

Utrum quis † possit sibi assumere insi- 13
gnia? Resp. *Pa.* 1. *c. dilecta de excess. prælat.* communiter tenetur, quod sic, & arma sicut & nomen assumitur ad placitum, ut agnoscatur ab alio. *Instit. de leg.* §. *si quis in nomine & l. ad recognoscend. C. de ingenuis & manum.*

Utrum insignia † alterius possit quis 14
sibi assumere? Resp. *Pa. in d. c. dilecta.* quod sic, sicut & nomen, quod limitatur

verum nisi illi, cujus sunt, prætenderetur aliquid damni, utputa facinorosus assumens arma alterius, posset ille offendi loco facinorosi, & talis potest implorare officium Judicis, & Judex potest prohibere, quia ad eum spectat quies populorum, *l.* 1. §. *Quies. ff. de offic. præfect. urb.* Idē dicitur, ubi interest reip. sicut si aliquis accipit insignia boni artificis, qui non est ita bonus, & ita decipiuntur populi: de hoc habetur *per Bartol. in tract. de insignis & armis.*

15 An liceat mutare † sigillum? Nomen sibi quemque mutare posse excepto servo, modo fiat sine fraude & præjudicio alterius, quidam tenent. *Emanuel Sa* id ad tempus & ex causa posse putat, alioqui acceptum in baptismo non posse, nisi forte in confirmatione, nec id tamen observatur: nam etiam Pontif. Romani à Sergio tanquam consecrati nomina sua immutant, de quibus *Abbas in c. cum secund. de præbend. nu.* 5. *gl. in proœm.* 6. *in verb. Bonifacius. Decius in c.* 1. *in* 2. *lect. nu.* 108. *Extr. de judic.* quod verum puto, cùm quis turpe & sordidum nomen habet, ex quo homines siniſtra suspicantur, putantes à pravo eventu impositum. *Angelica Summa in verb. Argumentum.* §. 3. *in fin.* Magnum enim est pulchro & honesto nomine

vocati,

vocari, ſcribit *Cynus Salicet. & alii in l. cunctos pop. C. de Summ. Trinit.* Ideo homines quærunt bona nomina, & dicebat Conſtantia Ioan. Andreæ uxor, quod ſi venderentur, deberent emi pro magno bono. Propterea Ioan. Andreas extollit nomen proprium *in proœm. Clem.* Similiter *Accurſius in l. facta. §. ſi in danda. (melius noſtri in §. ſi vero nominis) ff. ad Trebellian.* interpretando nomen ſuum. De inſignibus vero & Armis, non ita facile puto cuivis ea mutare fas eſſe, cum in mutatione nominis perſona nota maneat, in mutatione vero ſigilli perſona ſtatim ſuſpecta fiat, cum plurimæ ſint familiæ unius nominis, diverſorum tamen ſigillorum. Hinc non mutantur vel augentur inſignia, niſi à principe impetrata venia: ex ſubſiſtente tamen ſingulari cauſa mutavit Clodoveus Rex Franciæ, quando baptizabatur & fiebat Chriſtianus, inſignia Francorum, quæ erant tres bufones, in tria Lilia. & Witekindus Saxo nigrum equum in Album, quando mutabat gentilitatem ſuam in Chriſtianitatem. Sed eæ mutationes utpote à principibus viris factæ, facile fiunt notoriæ, quod non fit in privatorum, niſi quis fiat hæres alicujus & nominis. Quandoque à ſuperiore mutantur,

ut habetur exemplum in Ducibus Bohemiæ, qui ex facinore Ducis Boleslai, fratrem suum Occidentis & Imper. refragantis, ahenum sui coloris in igneo campo pro insigni gestare tenebantur, factum id ab Ottone I. Imper. Anno 994. sed eis restituit Conradus Imper. insignia cum aquila nigra tacta à flamma ignis Anno 1032. ut recenset Wenceslaus Hageccius *in suis Bohemic. Chron. part. 1.*

16 Bastardi non † portant arma domus nobilium, cum non sint nobiles, ut dicit *Baldus in l. cum legitimæ nuptiæ, ff. de stat. hom. idem Bald. in l. generaliter. § fin. Cod. de Instit. & subst. Chassan. in commentar. super consuetudinib. ducatus Burgund. in tit. des successions des Bastards §. 3. in gl. 4. vers. juxta prædicta.* ideo non possunt assumere arma domus, ut dicit *Guil. Bened. in sua repet. c. Rayn. de cler. num. 31. de testam.* ubi tamen concludit, quod istud non observatur in Francia, quia Bastardi portant arma domus, cum aliqua tamen barra, quæ incipit à sinistris & tendit ad dextram, tendens & transversans per medium scuti seu campi armorum, & ibi plenè de Bastardis. Legitimati à principe per rescriptum an possint portare arma plena domus, unde descenderunt, sine barra in medio per transversum? Videtur quod

quod non, cum non includuntur, nec succedunt tales in feudis, *textus est in c. naturales filii*, licet postea fiant legitimi ad successionem feudi, nec soli, nec cum aliis admittuntur, si de feudo defuncti conventio sit inter dominum & agnatos vasalli, *facit c. quidam. de filiis natis ex matri. ad morgan. contract. in usibus feudorum.* Ergo eodem modo dicendum est de armis. Quia quemadmodum est beneficium & honor, qui non intelligitur sentire de reprobatis, *l. Lucius. §. Lucius. ff. de leg. 2.* Ita etiam portare arma est honor.

Secundo non comprehenduntur in dispositione Emphyteuticaria, *secund. Specul. tit. de Emphyt. §. nunc aliqua vers. 172.* ergo etiam videtur, quod nec in portu armorum, cum eadem militet ratio in uno sicut in alio, ergo idem jus constituendum in utroque, *vulgat. l. illud. §. 1.* ibi: *eaque ratio similiter, &c. cum pluribus concord. alleg. in gloss. in verb. æstimari. ff. ad l. Aquil.* prædicta duo fundamenta posuit *Bald. in l. generaliter. §. cum autem. C. de insfit. & subsfit.* & post eum *G. Benedicti in repet. c. Raynut. in verb. Rain. de testa. num. 23. & 24. de testam. & ibidem in verbo. & uxorem Andelasiam. nume. 101.*

Tertio facit, quia legitimatus etiam expresse

expresse ad quamlibet dignitatem non intelligitur legitimatus ad regiam dignitatem, ut tenet *Bald. in l. eam quam col. 9. in fin. C. de fideicom.* In oppositum facit, quia existentia sui hæredis habet locum in legitimatis, *secundum Bald. in d. l. eam quam colum. 2. & Iaſ. in l. qui ſe patrũ in 3. & 3. col. C. unde liberi & in l. morib. col. 5. ff. de vulgari. Chaſſan. in comment. ſuper conſuetud. ducatus Burgund. tit. des ſucceſſ. des Baſtards. §. 5. in gl. ab inteſt. verſ.* Quomodo autem, & plenius *in eod. tit. §. 5. in conſil. ibi poſito*, ubi fiunt de materia multa argumenta. Pro concordia prædictorum breviter dicendum est, quod prima opinio procedit, ubi simplex interveniret legitimatio. Secunda autem etiam est vera in casu, in quo ita fiant legitimi, ut in feudo, Emphyteusi, portu armorum domus, aut successione regni succedant, & hoc fuerit expresse & nominatim dictum in rescripto legitimationis, prout tenet *gloss. in verbo legitimi in d. cap. naturales*, quam sequitur ibi *Baldus in d. l. eam quã colum. 9. in fin.* Quia hoc licet principi facere ex suo rescripto, ut satis innuit *G. Benedict. in ſua Repet. c. Raynut. in verb. & uxorem Andelaſiam num. 289. de teſtam.* ubi dicit, quod talis legitimatio quo ad honores & cætera, filiis legitimis,

post

post vel antea susceptis, non præjudicialia perpetua durat; & suam semper contineat effectum, pro quo facit *l. quoties* C. *de precib. Imp. offer.* Tamen quoad regnum & per consequens quo ad arma regni, talis legitimatio non potest fieri saltem in regno Franc. ut tenet idem G. *Bend. in loco præd. num.* 192. *&* 195.

Legitimati vero per subsequens matrimonium habent intrepide jus & facultatem deferendi arma plana domus & familiæ. Sufficit ad hoc *melior textus in c. tanta in princ. & ibi gloss.* 1. *ad hoc fere expressa.* saltem quo ad honores, *Extract. qui filii sint legit.* Ex eo, quia habentur pro suis & habent jura suitatis, *in dict. gloss. ab intestat. verb. primo enim legitimantur*, etiam quod succedunt sicut alii filii legitimi & naturales etiam in feudo & in. Emphyteusi, prout etiam tenet *Pan. in cap. innotuit. colum.* 7. *& in cap. cum Vintoncinen. de Elect. & in cap. lator. & d. c. tanta. Extr. qui fil. sint legitim.* Imo etiam si sit consuetudo, quod succedat primogenitus, iste taliter legitimatus, si sit primo natus, intelligitur primogenitus, & sic poterit & debebit portare arma plena domus, licet reperiatur postea alius natus legitimus & naturalis, alius secus. Faciunt ad hæc notata *Baldi in d. l.*

eam

eam quam, ibi : *denuo dubitatur*, & ibi : *Sed pono*, *quod est nominatim*. *Cod. de fideicomm.*

17 Bartolus fuit † expositus, & non erubuit dicere & nutritori gratias referre. Nam commemorationem insignem fecit *in l. quidam cum filium. num.* 8. *ff. de verbor. obligationibus*, de fratre Petro Pietatis, qui eum nutrivit & erudivit, sic appellatus, quia locum Venetiis erexit, qui Domus Pietatis vocatur, ubi infantes expositi nutriendi recipiuntur, dicitque fuisse virum miræ sanctitatis, & pro tali reputatus apud se & omnes, qui eum agnoverunt, cui gratias egit, & de ejus memoria, tenerice loquendo lacrymatur. Siste ergo & nota Bartolum, qui eo tempore magno afficiebatur honore, non erubuisse fateri se expositum & ab illo expositorum communi Patre nutritum. Hic Bartolus habuit arma à Carolo IV. Imp. pro & sua agnatione, ut refert *Chassan. in Gloria mundi part.* 1. *consid.* 38. *conclus.* 45.

18 Solet Pontifex † suas bullas & decreta subsignare & roborare Annulo piscatorio. Quid illud? Roman. Pontif. gloriatur se D. Petri successorem. Hinc D. Apostolum Petrum utpote, qui fuit piscator, & S. Paulum gerit pro sigillo. Hinc ipsius Secretum sive sigillum nominatur

natur Annulus piſcatorius. Cur vero Paulus ad dextra Petri ſignatus conſpiciatur, multas rationes adfert *Alex. Carrerius de poteſtate Pontificis lib. 1. c. 5.* non eſſe hoc perpetuum', ut in antiquis imaginibus Paulus dextram partem occupet, ſiquidem in his quæ Romæ nunc extant, ut in quibuſdam Paulus ad dextram, ita in aliis non paucioribus ad ſiniſtram cernitur, & ſicut in diplomatibus Paulus dextram obtinet, ita in numiſmatibus ſiniſtra potitus eſt. Et fortaſſe conſulto id veteres obſervarunt, ut ex duobus ſummis Apoſtolis modo unum, modo alterum anteponerent, nimirum ut eo modo ſignificarent, hos Apoſtolos vel pares eſſe inter ſe, vel certe ignorari uter alteri præſtet.

Nam & ſi Petrus major eſt poteſtate, Paulus major eſt ſapientia, ut eleganter monet *S. Maxim. Sermon. de Sancto Petro & Paulo:* ubi Petro clavem potentiæ, Paulo clavem ſapientiæ datam eſſe dicit: adfert deinde, cum ſimul duo incedebant, olim id obſervatum, ſenior & honoratior ad lævam eſſet, junior autem latus ei dexterum clauderet, & non nihil præcederet in ſignum obſequii. *allegat Ovid. lib. 5. Faſtor.*

Et medius juvenum non indignantibus illis
Ibat,

Ibat, & interior si comes unus erat. Addidit testimonium *ex Eusebio. lib. 1. de vita Constantini*, Constantinum adolescentem dum obiret provinciam cum seniore Augusto, ad dexteram ejus iuceſſiſſe, & sic initio cæpiſſe depingi Paulum ad dexteram Petri, ut juniorem & minorem, quod autem poſtea ad dextram depingi cæperit, etiam cum Petrum non tegit, vel cum Chriſtus medium locum tenet, ex imperitia factum cenſet. Addit poſtea aliam rationem, quoniam Paulus plus videtur Eccleſiæ profuiſſe, quam Petrus: plures enim ex gentibus ad Chriſti fidem aduxit, plures provincias ſummo cum labore peragravit, plura ſcripta eaque utiliſſima nobis reliquit. Alia ratio inſuper eſt, quia Paulus Doctor gentium præcipuè fuit, Petrus Judæorum. Ut igitur Eccleſia ſignificaret Gentiles Judæis tandem antepoſitos eſſe, ab eo, qui dixit, *Major ſerviet minori*, Paulum Petro antepoſuit.

Alia ratio, quia dextera ſignificat immortalitatem, ſiniſtra mortalitatem, & ob eam ſignificationem Petrus ponitur in ſiniſtra parte, quia ſumptus fuit ad Apoſtolatum tempore mortalitatis Chriſti Domini noſtri ante ejus mortem, Paulus autem ad dextram, quia adhæſit

adhæsit Apostolatui post ascensionem Domini, à Christo immortali & regnante ac à dextris patris sedente vocatus est. Ita tradit *Guillermus Durandus in libro, qui intulatur Rationale divinorum officiorum lib. 7. cap. 44. vers. quidam tamen per duos annulos.* Sequitur *Selva de benefic. 1. part. quæst. 5. nu. 71. Decius in c. translatæ 2. lectur. num. 20. de constitut. Ludov. Gomez. cap. 1. nu. 36. de constit. lib. 6. Cardinalis S. Sixti lib. 2. de Ecclesia. num. 3. Cardinal. Alexandr. in c. quamvis 21. distinct. Illephonsus Perez de Lara in tract. de universar. & Capellan. lib. 1 c. 7. nu. 19.* cui & astipulatur *Antonius de Guevara, de breviat. tempor.* Quartam rationem addit *Petrus Damiani in Epist. ad Desiderium*, quia videlicet Paulus de tribu erat Benjamin, & in ipso Benjamin demonstratus, ac typice in scripturis expressius: Porro Benjamin etsi postremus erat inter fratres suos, nihilominus & à patre filius dexteræ est appellatus, & à Josepho omnibus fratribus antepositus, ut *Gen. cap. 25. & 42.* legitur. Vide & *Chassanæum in Catalogo Gloriæ mundi 3. part. consid. 2.* ubi nititur sinistram esse præstantiorem, & ob id in bullis Plumbatis Rom. Pontif. imaginem D. Petri Apostolorum Principis in sinistra parte, Pauli autē ad dextram poni.

vide

vide literas indulgentiales. Placet mihi opinio *Durandi*, quæ animo hæsit meo, antequam ipsum viderem. Cum ea quæ fiunt & fieri dicuntur in cœlo, præferantur iis, quæ in terra, *argum. Orationis dominicæ, Fiat voluntas tua sicut in cœlo, ita & in terra.* Placet addere quod *Blondus* meminit, adeo in pretio habuisse Romanos dexteram, ita ut nemo Cæsare veniente in Senatum à dextris occupare locum ausus fuerit, & credebant hoc grande dedecus, si juvenis vetulo aut servus domino, aut filius patri à dextris assederit. Id hodie apud omnes pene gentes usu servatur. Sed alia consuetudo Persarum est, qui ut *Plutarchus* meminit, hospites suos ad sinistras suas locarunt, putabant siquidem, eos quos maxime deligeremus & ex corde, etiam à cordis latere ponendos, refert *Guevara in Instit. vitæ Aulicæ. c. Quibus ceremoniis aulicus principem cõpellari debeat.* Refert *Xenophon* Cyrum solitum fuisse convivas honoris gratia à latere sinistro juxta se ponere, utpote fideliores charioresque illos declarans, qui in parte cordis læva discumberent. Hinc & Jovi depicto dabatur sceptrum in manu non dextra quidem, sed sinistra, ad denotandum sicut in sinistra parte hominis cor membrum principale corporis, in quo

virtus

virtus vitalis sit radicata, sic mundus à Jove recipiat vitam. Vide *Antonium Ferrum in tractatu Italico cujus titulus: Apparato delle statue ritrovate in Cuma* C. *Della prima statua creduta di Giove pag. mihi* 13. *Pausanias. Sedet in solio Deus ex auro & ebore factus: & zona capiti imposita est ad oleagri nefandi imaginem. Dextera victoriam & ipsam ex ebore & auro præfert cum tænia & corona, Læva sceptrum tenet affabre expolitum & omnium metallorum varietate distinctum, &c.*

INDEX

INDEX
AUCTORUM,

Quorum Historiæ & Nomina in hoc Opere laudantur.

A.

Aelius Spartianus.
Æmilius Probus.
A. Gellius.
Alexand. ab Alexand.
Alexander Carrejus.
Ambrosius Calepinus.
Antonius Germonius.
Antoninus.
Antonius Ferrus.
Angelus.
Accursius.
Antonius Faber.
Apulejus.
Appion.
Aurelius.
Aretinus.
Aubanus.
Aymon Cravetta.

B.

Barthol. Chassanæus.
Baldus.
Bartolus.
Bertachinus.
Bonfinius.
Budæus.

C.

Cardinalis S. Sixti.
Cornelius Nepos.
Cornelius Tacitus.
Clemens.
Cypræus.

D.

Dionysius Gothofredus.
Digesta.
Didacus Covarruvias.

E.

Eusebius.

F.

Festus.
Fl. Blondus.
Franciscus Duarenus.
Fulgosius.

Guid.

G.

Guid. Papæ.
Guil. Bened.
Guillermus Durandus.

H.

Horatius.
Harmenopulus.
Hostiensis.
Hieron. Schurfius.

I.

Iacobus Cujacius.
Isidorus.
Ioannes Nyder.
Ioannes Villemontanus.
Ioachimus Mynsinger.
I. Stephanus Durantus.
Ioannes Andreas.
Iosephus Scaliger.
Imola.
Innocentius.
Iuvenalis.

L.

Levinus Lemnius.
Levinus Torrentius.
Leonclavius.
Ludovicus Gomezius.
Ludovicus Zuntus.

M.

Marsilius.
M. T. Cicero.
Marcellus Donatus.
Macrobius.
Molineus.

N.

Nicolaus de Todeschis Abbas Panorm.

P.

Paulus de Castro.
Petrus Damiani.
Parisius.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Porphyrion.
Petrus Merssæus.

Q.

Quintus Curtius.

R.

Rabanus Maurus.
Romanus.

S.

Sabellicus.
Salicetus.

Sextus Iulius Frontinus.
Seneca.
Socinus.
Solinus.
Sueton. Tranquillus.
Statius Papyrius.
Stephanus Eduensis.

T.

Tertullianus.
Terentius.
T. Livius.
Trebellius Pollio.
Trogus Pompejus.
Turzanus.

V.

Valerius Maximus.
Vincentius Belluovacensis.
Virgilius Maro.
Vlricus Zasius.
Vlpianus.
Vvenceslaus Hageccius.

X.

Xenophon.

FINIS.